Clarissimi Viri,

ADRIANI HEEREBOORDI,

Philosophiæ Professoris Ordinarii,

DISPUTATIONUM

De *Concursu*,

EXAMEN.

A

JOHANNE STEARNE

M. D. institutum.

AD

Amicum suum, JOHANNEM RAWLINUM.

Flumina concurrent duriter, Sap. 5. 23.

DUBLINII,

Typis *Guilielmi Bladen*, MDCLXX.

07-86

Clariſſimi Viri, ADRIANI HEEREBOORDI, Diſputationum de *Concurſu*, *EXAMEN*, A JOHANNE STEARNE, M.D inſtitutum.

Præfatio.

Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone, Eccl. C. 1. v. 8. Hæc rerum difficultas non tantùm philoſophandi libertatem, verùm etiam errandi veniam mereri videtur. Nos iſtâ libertate, non hac veniâ freti, *Anim. Medel.* L. 2.

C. II. adversus Concursum non ita pridem disseruimus: Et, quamvis argumentis ibidem ad nostram sententiam stabiliendam adductis, quorum non pauca sunt planè nova, nondùm quispiam satisfecerit; nihilominùs conviciis longè gravissimis oneratur nostra ista dissertatio. Veritatis fatum est, cùm, postquàm tyrannide erroris consuetudine roborati veluti devicta diutiùs jacuerit, quasi postliminio redit, malè audire. Non itaq; ut calumnias, quas ferre veritati solenne est, amoliamur; nec tam ut nostram sententiam novis argumentis confirmemus; quàm ut Respublica literaria tandem aliquando intelligat, quàm subtesta sint ea argumenta, quibus ipsi concursus obtruditur, hunc Tractatum exaravimus. Rationes quàm plurimæ, quibus concursus stabiliri solet, nullibi fere non occurrunt. Eas quidem omnes leviculas esse olim judicavimus; sed Clarissim

rissimi viri *Adriani Heereboordi*, Philoso-phiæ Professors Ordinarii authoritas, illarum quibusdam pondus aliquod nuperrimè adjecit : Aliàs certè vel optima argumenta, quæ concursui adstipulari videntur, ut prorsùs futilia, animadversione vix dignaremur. Quamvis autem tanti *Professoris* Authoritas, eousquè invaluerit, ut ratiocinia, aliàs planè negligenda, examine cohonestemus : si tamen præter eruditionis famam, nihil solidum attulerit, quod concursum statuminet, sententiam haud mutabimus. Nobis veritas, quàm quævis humana Authoritas, meritò pluris est. Sed ipsum *Heereboordum* audiamus.

ADRIANI HEEREBOORDI, Vol. 1. Disp. ex Philos. select. 7. de concursu, Thes. 1.

Si quid in Philosophiâ universâ arduum est ac difficile explicatu, Concursus est divinus,

in quo explicando tam fuit à Philosophis laboratum & sudatum, ut nullibi magis: &, quod amplius est, si cubi erratum fuit periculosè, hîc quàm maximè: quare omninò meretur hæc materia seligi, ut fideliter ac juxta veritatem explicetur, præsertim, quod dextrè & rectè intellecta insignem habeat usum. *Quæritur*, An Deus causa prima vere cooperetur seu concurrat in agendo cum creaturis causis secundis. *Seu*, An causa secunda aliquid agere possit, independenter à Deo, ut causa prima non concurrat ad actionem, effectivè, proximè, immediatè? *Duæ hic sunt sententiæ oppositæ*: una *tenet, causas secundas per se solas sufficientes esse ad actiones suas eliciendas, nec Deum ad actiones istas concurrere. Hæc sententia defensa fuit olim à* Durando *Scholastico reali, sed nec Thomista, nec Scotista, verum utriusque adversario: hic putavit, causas secundas per se effecta sua producere, nec cum illarum operatione*

peratione causam primam aliter concurrere, quàm causas secundas ipsas, & agendi vim primò à creatione aut generatione illis inditam, conservando: vid. ipsum in lib. 2. Pet. Lombardi, sententiarum Magistri, distinct. 1. quæst. 5. Durandi *sententiam amplexus est hoc seculo* Nicolaus Taurellus in lib. de rerum æternitate & triumpho Philosophiæ, *nisi quod hic præter concursum divinum etiam insuper sustulerit Dei conservationem: & nuperrime ante annos novem prodiit* Monachus *quidam* Capucinus Burgundus, *qui hanc* Durandi *sententiam magno molimine & ingenti volumine adstruere conatus est: imò ait, hanc sententiam* Durandi *esse unicum medium ac remedium tollendis litibus idoneum, quæ tot jam annos inter* Dominicanos & Jesuitas *agitantur, de ratione concursus divini, de scientiâ mediâ, de naturâ libertatis, &c.* Altera *sententia, opposita huic, statuit Deum causam primam, actu*

& reverâ ac per se proximè & immediatè concurrere ad operationes causæ secundæ: itaque ex hac sententiâ, Deus non tantum permittit creaturam agere, non tantum vires concedit ac conservat ut agat, sed & ipse agit, efficit, efficaciter concurrit, cooperatur. Et cum hujus sententiæ authoribus nos facimus, ponimusque hanc thesin: Deus concurrit ad quamlibet causarum secundarum operationem, sic ut immediate ac per se influat in omnem actionem creaturæ; consequenter, in omnem effectum: estque Deus immediata, principalis, totalis causa actionis & effectus æque atque causa secunda. *Quam sententiam primum* explicabimus, *tum* probabimus.

EXAMEN.

VErum est tum objectum intellectus adæquatum, tum entis proprietas; quo enim itaqu

raquè entis ambitu non circumſcribitur, id non tantùm intellectu arduum & explicatu difficile, ſed etiam impoſſibile, meritò cenſetur : Quocircà cùm concurſus inter entia numerari nequeat, *In arduis ponit nidum ſuum*, Job. 39. v. 30. Si verò entibus accenſeri debeat, (ut Cl. *Profeſſori* videtur) undè ſingularis difficultas? Eandem actionem à duabus cauſis efficientibus profluere immediatè, quàm facillimè apprehenditur. Generatio filii, immediatam cùm patris tum matris efficientiam agnoſcit; & unus idémque motus currus à duobus pluribúſve equis, ut à cauſis effectivis immediatè promanat, niſi duos motus currus, quorum alius ab uno, alius ab alio ſimul proficiſcitur, temerè comminiſcamur. Sed difficultatem cauſari oportet, ut argumentorum imbecillitati impetretur venia, idque non ſine laude. Etenim de *Heereboordo* dici poteſt, quòd quam

vis

vis fruſtrà fuerit argumentatus, *Magnis tamen excidit auſis*. A *Philoſophis* haud paucis in concurſu explicando maximoperè laboratum eſt, quoniam *ingreſſi ſunt arduа*, Jer. 4. v. 29. Et *ambulaverunt vias difficiles*, Sap. 5. v. 7. Multùm ſudârunt, ſed nè hilum quidem profecerunt. Valdè hac de re ſolicitus eſt *Profeſſor*, quia *Sicubi erratum fuit periculoſè, hìc quàm maximè*. Nè ſcilicet, concurſu ſublato, cœlum ipſum corruat, metus eſt: Terror *Panicus* ipſum occupavit. Sed, concurſus fideliter & juxta veritatem explicatus, ac dextrè & rectè intellectus, *inſignem habet uſum*. Si μορμολύκειον non cogat, forſitan blanditiæ atque ſpes inanis ſuadebunt ut admodùm reverenter de *nihilo* ſentiamus.

Quæſtio incommodè, nè dicam ridiculè, proponitur. Nam primùm, Deum concurrere eſt Deum cum creaturis agere, ita ut quærere, utrùm Deus concurrat in agendo cum

cum creaturis, idem sit, ac si quæras, an Deus agat in agendo cum creaturis. Secundò, nonne actus creaturæ & concursus Divinus sunt, etiam ex sententiâ *Heereboordi*, una & eadem actio? Quid igitur sibi vult hæc phrasis: *concurrere ad actionem?* An datur actio ad actionem? vel an eadem actio ad seipsam terminatur? Fidelem explicationem frustrà pollicetur, qui in ipso limine, veritatem, quam putat, tam manifestâ obfuscat scurologiâ. Sed, hic modus loquendi, quamlibet absurdus, patronis concursus familiaris est. Tertiò, cùm dependentia actionis creaturæ citra concursum salva sit, (uti supià citato Capite l. 2. *Anim. Medel.* ostendimus, & infrà quoque declarabimus) eámque haud insicientur ii, qui concursum repudiant; vel propositi oblitus, vel sensus quæstionis ignarus, controversiam de concursu proponit quærendo, *An causa secunda aliquid*

aliquid agere posſit independenter a Deo; niſi ſubdolè controverſiam repræſentet, ut ſententia concurſum negans, gravaretur præjudicio, & maximè odioſa videretur. Quæſtionis autem ſenſus planus atque genuinus eſt, non an Deus agat in actione, aut ad actionem, vel an actio creaturæ à Deo dependeat; ſed an omnis actio creaturæ ſit immediatè à Deo, ut à cauſâ effectivâ.

Sententiæ priori æquior fuiſſet, ſi ipſam aliorum veterum Authorum, qui ſanè ſunt plures, iſque longè celeberrimi, & à nobis in noſtrâ de concurſu diſſertatione recenſiti, ſuffragiis munitam, Lector candidè exhibuiſſet. *Nicolaum Taurellum* non vidimus, ejuſque, conſervationis negationem haudquaquàm admittimus. Quis fuerit *Monachus* ille *Capucinus* nobis nec conſtat, nec refert: veruntamen negationem concurſus, plurimas controverſias, eáſque graviſſimas dirimere,

dirimere, idque fœliciter, patet omnibus, quos lites de concurſu moræ, & indè pendentes non latent. Poſteriorem ſententiam proponit, ſed non ſine additamento novæ acurologiæ, *influxus* ſcilicet *in actionem*, eámque prolixiùs explicaturus eſt.

HEEREBOORDUS.

II. Multis modis aliquid dicitur cauſa actionis: I. quia tribuit agenti virtutem operandi: quo ſenſu nonnullis Philoſophis gravia & levia dicuntur moveri à generante, quia generans communicat eis gravitatem & levitatem, quibus moventur. II. quia conſervat virtutem, quâ aliud operatur: quo modo Medicina & herbæ dicuntur cauſæ viſionis, quia conſervant potentiam videndi. III. quia eſt inſtrumentum alteri in agendo inſerviens: hoc modo ſecuris cauſa eſt ſectionis in ligno. IV. quia aliquid

ſaltem

saltem confert in agendo, licet non totam actionem producat, ut sunt causæ partiales : sic duo equi trahunt navem. V. quia ad agendum impellit, adhortatur, suadet, objecta proponit, quæ est causa moralis. VI quia applicat activa passivis : quo sensu, qui apponit ignem domui, dicitur eam comburere. VII. quia influit in effectum & actionem immediate, conferens illi non tantum verum esse, sed & totum esse in suo genere & ordine. Deus causa est actionis causæ secundæ primo & secundo modo, quia causam secundam ac virtutem operandi in eâ creavit, & utramque conservat : causa enim secunda est ens per participationem: ideoque, quicquid habet essentiam, agendi potentiam, &c. habet ab alio; & à quo, nisi à Deo? porro non est in causæ secundæ potestate, ut quæ jam est & agendi potentiam habet, cras aut alio tempore sit eandemque habeat : si enim creatura sibi dare posset, ut cras sit, & eandem cras habeat potentiam agendi, quam nunc

possidet,

poſſidet, quidni poſſit ſibi dare, ut ſemper ſit & ſemper iſtam agendi potentiam habeat? atqui hoc eſt abſurdum: Ergo quod cauſa ſecunda in eſſe perſeveret eandemque habeat alio tempore agendi potentiam, quam nunc habet: eſt ab alio, & à quo, niſi ab eo qui primum eam fecit? Deum itaque eſſe cauſam actionis cauſæ ſecundæ I. & II. modo extra omne eſt dubium: ſed cauſa eſt tantum per creationem & conſervationem, nec-dum per cooperationem aut concurſum. ut enim ſic ſit cauſa actionis cauſæ ſecundæ, aliquid amplius præter virtutis agendi in cauſâ ſecundâ creationem ac conſervationem requiritur, ut th. 5. probabimus. III. modo, Deus nequaquam eſt cauſa actionis cauſæ ſecundæ, quia quoties Deus eſt cauſa, nunquam eſt inſtrumentalis, ſed ſemper principalis. IV. modo, Deus neutiquam eſt cauſa actionis cauſæ ſecundæ, quia aliquam tantum partem actionis produceret, & reliqua pars actionis fieret à cauſâ ſecundâ ſine influxu

prima,

prima, quod utrumque est absurdum: & imperfectio foret in Deo, dicere, quod sit causa in agendo partialis: est enim totalis. V. & VI. modo, Deus non est proprie causa actionis causæ secundæ, quia sic tantum foret mediata; at Deus immediata est causa cum agit. Restat ergo VII. modus, ut Deus *sit* causa actionis causæ secundæ, quatenus in eam vere ac principaliter influit, eique totum esse immediate tribuit; *& hoc est quod vocamus, Dei* concursum *seu cooperationem.*

EXAMEN.

Modos primum & secundum subenter agnoscimus. Tertium Deo adscribere ridiculum est. Quartus est planè impossibilis. Etenim, actionem partes habere, quarum altera ab unâ causâ, altera ab aliâ promanat, est purum putum figmentum. Duo quidem

equi

qui unam eandémque navem, quæ partes habet, trahunt: verùm cùm navis trahitur duobus equis, non datur una pars motus, quæ ab hoc equo, alia quæ ab isto proficiscitur. Causa non ideò *partialis* dicitur, quia *cum partis actionis* causa est, sed quia conjuncta causa alteri ejusdem speciei atque ordinis causa est. Quintus modus negari non potest. Deus gratiâ infusâ ad operandum impellit, præceptis adhortatur, beneficiis suadet, objecta proponit. Sextus modus perquàm manifestus est, si de agentibus naturalibus sermo instituatur; sin de liberis differamus, metaphorâ opus est. Objectum, quod Deus voluntati per intellectum applicat, in voluntatem non nisi *metaphoricè* agit, uti *Anim Mcd.* L. 1. demonstravimus. Ex modis enumeratis *Professor* primum quidem & secundum amplexatur; eos vero ad hoc ut Deus sit causa actionis causæ secundæ sufficere negat.

Quod quoniam Theſi quinâ probare polli-
cetur, coúſquè reſponſum differemus. Ter-
tius modus & illi & nobis diſplicet; *ſed pe-
titione principii* eum Deo non competere
probat. Argumentatur enim in hunc mo-
dum: *Tertio modo*, id eſt, tanquam inſtru-
mentum, *Deus nequaquàm eſt cauſa actionis
cauſæ ſecundæ, quia quotiès Deus eſt cauſa, nun-
quam eſt inſtrumentalis, ſed ſemper principalis.*

Quod ad quartum modum attinet, quo-
niam eſſe cauſam *partialem*, aliquam invol-
vit imperfectionem, eum Deo imputandum
eſſe unà cum *Profeſſore* inficiamur: ſed cùm
imaginatur ideò cauſam vocari *partialem*,
quia partis tantùm actionis cauſa eſt, mirum
in modum hallucinatur. De modis quinto
& ſexto quid ſentiendum ſit, paulò antè di-
ctum eſt. Sed *Heereboordi Logicam* animad-
vertat Lector. *Quinto, & ſexto modo*, (in-
quit) *Deus non eſt propriè cauſa actionis cauſæ
ſecundæ,*

secundæ, quia sic tantùm esset mediata; at Deus immediata est causa cum agit. Hoc est, Deus propriè causa non est, quia est causa *mediata*; quasi esse causam *meditam*, sit esse causam non nisi *impropriè*. Hæccine Dialectica *Lugduni Batavorum?* Reliquus est septimus, (qui *Professori* in delitiis est) videlicèt, *Deus est causa actionis causæ secundæ, quatenùs in eam verè ac principaliter influit, eique totum esse immediatè tribuit; & hoc est quod vocamus, Dei concursum seu cooperationem.* Ad hunc *concursum* demonstrandum, vel imbecillitatis argumentorum conscius tardiùs accedit; vel quia ingenium omne, *Batavum* esse credit, rem, quæ pauculis verbis satis dilucidè proponi potest, operosâ & prolixâ explicatione indigere existimat; vel denique, argumenta sua, adhuc differenda, tam longum meretri apparatum, & nè citra illum vilescerent, periculum esse, autumat *Heereboordus*. Ut-

 cunque,

cunque, explicationes, quas adornat, ſunt ferendæ; & argumenta expectanda.

HEEREBOORDUS.

III. Deus in concurrendo cauſa eſt actionis cauſæ ſecundæ: Principalis, *quia non eſt neceſſe ejus virtutem aliunde excitari*: totalis, *quia in ſuo genere & ordine totam actionem producit*: immediata, *quia ipſam actionem & effectum cauſæ ſecundæ attingit ſine ullo medio*: At, *dices*, Cauſa prima operatur mediis ſecundis, ergo earum actiones & effecta non attingit immediatè. *Reſpond. Deum agere mediis cauſis ſecundis, nihil eſt aliud, quam, Deum admittere concauſam, vel cauſam ſociam, & conſortium alterius agentis, quod nihil impedit, quominus omnes ſecundarum cauſarum actiones atq; effecta immediate attingat. Quod ut intelligatur, explicandum eſt, quomodo aliqua cauſa,*

&

& Deus, dicatur agere immediate, alia mediate: causa dicitur agere, vel mediate, vel immediate, tum quoad suppositum, tum quoad virtutem : *illa causa agit* immediate immediatione suppositi, *inter quam & effectum seu rem patientem nullum aliud suppositum singulare per se subsistens interjectum est, quo pacto aqua manum abluit refrigeratque* : *contra* mediate *agit causa* mediatione suppositi, *inter quam & effectum seu rem quæ patitur aliud cadit suppositum, ut inter fabrum & statuam securis. Illa causa agit* immediate immediatione virtutis, *quæ agit per virtutem sibi propriam, & non, ut ageret, mutuo acceptam : quo pacto ignis calore suo, sibi proprio, & ad calefaciendum non aliunde commodato, aquam calefacit* : *contrà* mediatè mediatione virtutis, *quæ per virtutem, non suam aut sibi propriam, sed aliunde acceptam ac commodatam, operatur, ut cum luna lumine à sole mutuatitio terram*

illuminat, aut aqua calida manum calefacit: virtus illuminandi, non lunæ, sed solis, media est inter lunam illuminantem & illuminationem, quæ virtus quia alterius est corporis, dicitur luna illuminare mediate mediatione virtutis, id est mediante virtute solis: sic aqua calefacit mediante virtute ignis, unde dicitur calefacere mediate mediatione virtutis. Deus *cum quovis agente creato* concurrit immediatè, immediatione, *tum virtutis, tum suppositi*: virtutis, *quia agit propriâ virtute non aliunde commodatâ*: suppositi, *quia per suam substantiam rem attingit, ipsa enim Dei substantia ejus est virtus. Sed enim dicet quis, ex hac explicatione sequitur,* nullam causam secundam agere immediate immediatione virtutis, quandoquidem omnis causæ secundæ virtus à prima est quasi mutuo accepta, commodata, & communicata. *Resp. Certè nullum agens creatum agit immediate immediatione virtutis, si per virtutem*

tem immediatam intelligas omni modo indeben dentem & nullo modo aliunde acceptam : ſed ſi intelligas virtutem, licet à Deo acceptam & dependentem, cauſæ tamen ſecundæ ingenitam, nativam, non aliunde, cum jam eſt & operabitur, ſicut frigus aquæ nativum eſt, calor adventitius, jam multa ex agentibus creatis agunt immediate immediatione virtutis, alia non item: & hæc res tota conſiſtit in modo loquendi.

EXAMEN.

De cauſalitatis Divinæ vel *principatu* vel *totalitate* nullam movemus litem : ſed *immediatio Profeſſori* negotium faceſſit, ipſum torquet haud mediocriter. Non ignorat cauſam primam agere mediis cauſis ſecundis; quod quoniam *immediationi* è diametro adverſari videtur, ut inter cauſandi *immediationem*, & *mediationem* per cauſas ſecundas

concordiam instituat, nullum non movet lapidem. Dicit Deum agere mediis causis secundis, nihil aliud esse, quàm Deum admittere concausam, vel causam sociam & consortium alterius agentis, quod nihil impedit, quò minùs omnes secundarum causarum actiones atque effecta immediatè attingat. Ex quo jacta fuerunt mundi fundamenta, tam insulsa, tam insipida interpretatio in publicum non prodivit. Nam, unam causam, aliâ mediante agere, dicit hujus ad illam, subjectionem atque subordinationem; non concausalitatem, societatem & consortium, quæ æqualitatem sonant. Duo equi currum trahunt: num unus alio medians trahit, quia in muneris istius *consortium* admittitur? An pater est *mediata* filii causa, quia fœminam tanquam *sociam* & procreandi concausam sibi adsciscit? An non *mediatio*, & *concausalitas* seu *consortium* vel *societas*, contraria significent,

cent, penes æquum & ſobrium Lectorem judicium eſto. Quod verò ad illam ſpectat diſtinctionem vel *mediationis* vel *immediationis* in eam quæ eſt *ſuppoſiti*, atque eam quæ *virtutis* eſt, (quâ ſeſe explicare conatur) *Profeſſoris* inſtituto nihil conducit. Nam primùm, Deum agere *immediatè immediatione ſuppoſiti*, quandocunque agit, in confeſſo eſt, quoniam eſt in omnibus rebus per *eſſentiam*, per *præſentiam*, & per *potentiam*, ut loquitur *Schola*. Secundò, ſi cauſam agere *immediatè immediatione virtutis*, ſit (uti vult *Profeſſor*) agere per virtutem aliundè non acceptam, procul omni dubio Deus agit *immediatè immediatione virtutis*, quandocunque agit; niſi hominem adeò veſanum, comminiſcamur, ut Deum virtutem ſuam ab aliquo mutuari exiſtimet. Sed quid hæc ad rhombum? Non quæritur an Deus ſit cuilibet rei intimè præſens, vel an, cùm agit, agat per virtutem mutuatitiam

tuatitiam ; sed quæritur an detur concursus, seu an omnis actio creaturæ sit immediatè à Deo ut ejus causâ effectivâ. Tertiò, juxta *Professoris* descriptionem *mediationis virtutis*, nulla causa secunda agit *immediatè immediatione virtutis*, quia omnis causa secunda agit per virtutem à Deo acceptam, quod incommodum ut devitet, virtutem, in nativam, & adscititiam distribuit ; sed frustrà, quoniam agere *immediatè immediatione virtutis*, est, si vera sit *Heereboordi* definitio, agere per virtutem non aliundè communicatam ; aliundè communicari, virtuti tum nativæ tum adscititiæ ex æquo competit ; & esse nativam vel adscititiam, ad *mediationem* vel *immediationem* operandi nihil omninò facit. Quartò, illa *mediationis* in eam quæ *suppositi* & eam quæ *virtutis* est, distributio, prout à *Professore* hîc loci explicatur, Deum agere mediantibus creaturis suis, seu mediis causis secundis, idem

dem valere, ac si dicas Deum concausam admittere, neutiquam ostendit. Nam consortium causalitatis nec est mediatio *suppositi*, nec *virtutis* mediatio: non *suppositi*, quia mediatio *suppositi*, Deo, quoniam à nullâ distat creaturâ, nunquam competit: nec *virtutis*, Deus enim, quoniam virtutem operandi non aliundè recipit, non potest mediatè agere mediatione *virtutis*. Certè, aut Deum agere mediante causâ secundâ citra ullam mediationem *Heereboordianam* credendum est; aut mediatio ex illius sententiâ in tres species distribuenda est, in mediationem scilicet *suppositi*, mediationem *virtutis*, & mediationem *concausalitatis*, quæ postrema mediatio omnibus retrò actis sæculis hactenùs inaudita fuit. Quintò, si causam habere aliam in agendo sociam, seu concausam, sit, illam hâc mediante agere, tam secunda causa, mediante primâ, quàm prima mediante

ante ſecundâ operatur, quia ut creatura Deo ita Deus creaturæ concauſa eſt, niſi concauſam ſine concauſâ, vel cauſam ſociam ſine ſociâ ſubſiſtere poſſe ſtatuamus. *Heereboordus*, explicationum ſuarum hactenùs infœliciter prodigus, ad argumenta tandem ſeſe accingit.

HEEREBOORDUS.

IV. Explicatâ ſententiâ noſtrâ, probandum reſtat, Deum immediate ac verè influere cooperando in omnem actionem & effectum cauſæ ſecundæ. *I. probamus ex communi axiomate, quod eſt veriſſimum*: Modus operandi ſequitur modum eſſendi: *hinc ſic concludimus. Si omnes cauſæ ſecundæ dependent à Deo in eſſe, dependent quoque in operari, ita ut non minus Deus vere & immediate concurrat ad earum operationes quam ad earum eſſe. Atqui omnes*

cauſæ

usæ secundæ dependent à Deo quoad suum esse,
od th. 2. hujus disput. *invictè est ostensum,*
& aliàs confirmatum th. 6. disp. 2. ex selectis
disp. *Ergo, &c. Tota consequentiæ ratio inni-*
titur axiomati à nobis allato, quod tam evidens
visum est Aristoteli, *ut, licet ad gravissimas*
quæstiones enodandas assumserit, nunquam ta-
men ipsum probare vel tentaverit, vel labora-
verit : ut exemplum proferam, constat ex lib.
1. de Anim. c. 12. & seq. Aristotelem *ver-*
sari in animæ intelligentis separatione possibili
demonstrandâ; ad quam rem ut viam sibi ster-
nat, statuit primò accipiendum esse, an aliquis
sit actus anima proprius, à corpore non depen-
dens, quia hoc posito, inquit, fieri potest ut ipsa
quoque anima separetur; hinc apparet axioma
nostrum, cui totus Philosophi *discursus innititur, præsupponi, ut certum & evidens: & certè,*
si modus operandi absolvi potest ab illa dependen-
tiâ, quam involvit modus essendi, non liceret

concludere

concludere ex eo quod modus operandi anim
intelligentis sit independens à corpore, ipsam
animam esse independentem quoad modum esse
di, quæ tamen consequentia apud Aristotelem
& omnes hactenus Philosophos *valida fuit*
Et quid nunc obstabit, si hoc nostrum axioma in
dubium vocetur, quo minus brutorum anima
post mortem existimentur superstites & immor
tales, quandoquidem eas non permanere conclu
sum est hactenus, quod animarum in brutis ope
rationes à corpore dependeant. Maneat ergo
immotum hoc principium, modus operandi
sequitur modum essendi, *& salva est conse*
quentia nostra ei innixa, si causæ secundæ de-
pendeant in esse à Deo, etiam in operari de-
pendebunt. *Sed alii hic* exceptio, *ad nostrum*
argumentum proferri solita, est diluenda, nam
distinguunt Adversarii nostræ enunciationis hy-
pothetica consequens hoc modo: si creatura de-
pendet à Deo immediate in esse, Ergo & in ope-

rari

ari sic à Deo dependebit, ut permittente, *con-cedunt*, ut coefficiente, *negant*. *Resp. distin-ctio nulla est*: *nam si modus essendi proprius creaturæ est esse dependenter à Deo non solum permittente, sed reverâ, physice, & immediate influente, sequitur ejus modum operandi pendere similiter à Deo, non permittente solum, sed reverâ, physicè, & immediatè influente: sed verum est prius* ex th. 2. hujus disp. & disp. 2. th. 6. *Ergo & posterius. Sed verò quia hac permissio est asyli instar, ad quod solent recurrere Adversarij in hoc negotio, plane eam destruemus, eademque operâ sententiam nostram nova ratione adstruemus.*

EXAMEN.

Cùm essentia sit operationum suarum causa principalis; cúmque effectus nullam sortiantur perfectionem, nisi quam à causâ suâ principali

principali mutuantur; ex operationis animæ independentiâ à corpore, ipsius animæ à corpore independentiam, *Aristoteles* aliíq; *Philosophi* rectissimè concludunt: & generatim à majori vel minori operationum excellentiâ, majorem vel minorem essentiæ excellentiam demonstrant. Sensus itaque axiomatis istius: *modus operandi sequitur modum essendi*, est, quòd, quoniam operatio essentiam, ut causam sui principalem sequitur, operatio essentiæ propria, est magis vel minùs perfecta, prout magis vel minùs perfecta est essentia, à quâ ut effectus proficiscitur. Jam quomodò hoc axioma concursum demonstret, videamus. Deus est essentiæ causa efficiens & immediata, ergò & operationis ejus est causa efficiens & immediata, quia *modus operandi sequitur modum essendi*, seu quia quò magis vel minùs perfecta est essentia, eò magis vel minùs perfecta est operatio

ipsi

ipsi propria. Eâdem planè ratione, quoniam animirùm, *modus operandi sequitur modum essendi*, probare licet, quòd cras pluet, quia baculus stat in angulo. Ita tamen argumentatur Clarissimus *Professor*. *Hinc* [ex isto axiomate] *sic concludimus*, (inquit) *Si omnes causæ secundæ dependent à Deo in esse, aspexerint quoque in operari, ita ut non minùs verè & immediatè concurrat ad earum operationes quàm ad earum esse.* Ut hujus argumentationis vanitas plenius innotescat, observatu haud indignum est, quòd ejus tenore, Deus æquali veritate & immediatione ad creaturarum operationes, & ad earum essentias concurrit; Atque ita, ad operationes angelorum, & animarum rationalium, si creando infundantur, & infundendo creentur, (ut vulgò creditur) neutiquam concurrit, quoniam ad productionem vel angelorum vel animarum rationalium non concurrit.

Tam illorum, quàm harum ſolitaria cauſa eſt. Sed hoc παρόραμα ipſi condonamus ejúſque argumentationem in formam commodiorem reducimus: nempè, creatura eſſentia immediatè dependet à Deo, ut à cauſâ efficiente, ergò creaturæ operatio à Deo immediatè dependet, ut à cauſâ efficiente; conſequentia vera eſt, quia *modus operandi ſequitur modum eſſendi.* Docent *Dialectici*, quòd *medium concludere neſcit*; vitioſa itaque eſt hujuſmodi argumentatio: homo eſt immediatè animal, Petrus eſt immediatè homo, ergò Petrus eſt immediatè animal: aut hæc; Pater eſt immediatè genitus ab avo, filius eſt immediatè genitus à Patre, ergò filius eſt immediatè genitus ab avo. Ad eundem modum procedit *Profeſſoris* argumentum; τὸ eſſe creaturæ eſt à Deo efficienter & immediatè, τὸ operari creaturæ eſt efficienter & immediatè (ſi mediatè tantùm,

tum, syllogismus magis vitiosus est) ab essentiâ creaturæ, ergò ad operari creaturæ est efficienter & immediatè à Deo. *Modus operandi sequitur modum essendi*, & dependentia est modus tum operandi tum essendi; quocircà dependentia operationis vi istius axiomatis, non immediata est, sed mediata, nisi dependentiarum immediatarum, alteram alteram sequi arbitremur. Quid, quæso, aliud est dependentiam operationis à Deo, (quæ operandi modus est) sequi essentiæ à Deo dependentiam, (quæ essendi modus est) quàm operationem à Deo dependere, quia ab essentiâ, quæ dependet à Deo, dependet? aut quid est, unius rei dependentiam, alterius dependentiam sequi, quàm rem illam hâc mediante dependere? Est quidem generalis quædam à Deo dependentia, eáque immediata, quâ ejus omnipotentiæ nihil non subditum est; hæc

à Divinâ efficientiâ non proficiſcitur, quoniam ipſa pravitas, cujus Deus cauſa efficiens non eſt, eſt immediatè in poteſtate Dei, id eſt, poteſt Deus pro arbitrio ſuo atque infinitâ potentiâ prohibere vel nè ſit, vel nè porrò ſit: eſt & alia dependentia non ita generalis, ſed immediata, quâ res à Deo immediatè productæ & conſervatæ, ab ipſo dependent: latur & tertia dependentia, ſpecialis ac mediata, quâ actiones creaturæ à Deo dependent. Eatenùs enim à Deo dependent, quatenùs dependent ab iis rebus, quæ priori dependentiâ à Deo dependent: ex eo verò quòd eſſentia creaturæ modo ſecundo dependet, inferre quòd ejus operatio ſimiliter dependet, ídque quia *modus operandi ſequitur modum eſſendi*, idem eſt, ac ſi colligas octo gradus caloris hujus ignis eſſe immediatè ab alio igne, quia gradus iſti (qui caloris modi ſunt) ſequuntur hujus ignis eſ-

ſentiam

tertiam, quæ est immediatè ab alio igne. Frivolam istam exceptionem, quam *Professor* adducit & contra quam disputat, quia nobis instar asyli non est, nec câ nobis opus est, missum facimus; tantùm scisciari libet, quid sibi vult *Professor*, cùm dicit: *modum operandi perdere similiter à Deo?* Modus operandi, quem magno conatu probare satagit, est operationis à Deo dependentia. Num operandi dependentia à Deo, pendet similiter à Deo? Hæc de primo argumento, succedat secundum.

HEEREBOORDUS.

V. Ergo probamus II. aliquid amplius in Dei concursu dandum esse quàm vitium suppeditationem, earum conservationem, aut nudam agendi permissionem, *hoc modo. Si Deus concessâ & conservatâ agendi vel non*

agendi facultate ſolum permittit creaturam agere vel non agere, tum nihil amplius præſtat, cum creatura agit, quam cum non agit; cum hoc modo agit, quam cum alio modo: cum bene agit, quam cum male: at iſta ſunt abſurda: Ergo & abſurdum eſt, Deum in operationibus creaturarum nihilo plus agere, quam vires dare, conſervare, & permittere ut agant: imo vero præter iſta, occaſiones & incitamenta cauſis ſecundis ad agendum objicit, impedimenta ſuſpendit, ipſe actu cum ijs inſiſtit, concurrit, coëfficit, cooperatur, earum actiones concurrendo dirigit, determinat, &c. quæ plus ſignificant, quam nudam permiſſionem, aut facultatis in agendo largitionem aut conſervationem: iſta autem Deum agere circa operationes cauſarum ſecundarum, probari poſſet, niſi id nimis eſſet manifeſtum, & probatum exaret in Theolog. naturalis & ſupernaturalis ſcriptoribus.

Examen.

EXAMEN.

Hoc *Professoris* argumentum est *Leonardi Lessii*, cique *Anim. Med.* L. 2. C. 11. satisfecimus. Sed, quid si Deus hominem in manu consilii sui relinquat? Non vult *Professor* ut Deus cum creaturis agat, cùm creaturæ non agunt. Cùm verò benè agunt, vide Lector, quantum ad bonam actionem confert. Præcepto ad illam hortatur & obligat, gratiâ infusâ excitat & inclinat, proponendo præmia allicit, occasiones suppeditando invitat, impedimenta removet; contrariam prohibet, & ab ipsâ, minando deterret; ita ut actionem bonam Deus jure sibi vendicet, actio verò mala soli adscribatur creaturæ. Cùm malè agit creatura, non Deo ad malè agendum trahente, malè agit; sed cùm benè, non nisi Deo ad benè agendum trahente, benè agit. Quomodò

verò homines ad bonum trahit? non impul-
su neceſſitante, ſeu naturam hominum vio-
lante, ſed ſuaviter & more humano. *In fu-
niculis Adam trahit eos, in vinculis cha-
ritatis*, Hos, C. 11. v. 4. Cur autem *Profeſ-
ſor* objiceret, quòd, ſi concurſus non ad-
mittatur, Deus non magis agit, cùm crea-
tura benè agit, quàm cùm malè, mirari li-
cet; quoniam illius concurſu admiſſo, non
minùs agit Deus cùm homo malè agit,
quàm cùm benè. Quod ex *Heereboordi* prin-
cipiis ſic demonſtramus: *modus operandi ſe-
quitur modum eſſendi*, ergò actio creaturæ
eſt à Deo immediatè & efficienter, quoni-
am eſſe creaturæ efficienter & immediatè à
Deo eſt. Hæc eſt ipſiſſima *Heereboordi* ar-
gumentatio. Jam progredimur: ſed actio
mala, non minùs quàm bona, ſequitur eſſe
creaturæ, quod à Deo eſt immediatè & effi-
cienter, ergò actio mala, non minùs

quàm

quàm bonâ, est immediatè & efficienter à Deo *Si modus essendi proprius creaturæ* (inquit supràthesi 4.) *est esse dependenter à Deo non solùm permittente, sed reverâ, physicè, & immediatè influente, sequitur ejus modum operandi pendere similiter à Deo, non permittente solùm, sed reverâ, physicè, & immediatè influente: sed verum est prius, ergò & posterius.* Ex ejusdem quoque principiis, ad actionem bonam, quàm ad malam, nihil amplius exigi, infrà fusiùs ostendetur. Respondebit forsitan *Professor*, quòd Deus in actionem, quæ mala est, non in malitiam, quia est mera privatio, physicè & immediatè influit. Contrà: primùm, malitiam esse quid positivum, *Anim. Medel.* L. 2. C. 16. demonstravimus. Secundò, si malitia sit mera privatio, & Deus ideò dicatur plus agere, cùm creatura benè agit, quàm cùm malè, quia ad malitiam non concurrit; ex sententiâ

tiâ *Heereboordi*, idcircò plus agit Deus, cùm creatura benè, quàm cùm malè agit, quia cùm malè agit, Deus non producit, quod produci non poteſt, ſeu quia privationis cauſa effectiva non eſt; atque hujuſmodi erit argumentum: quia Deus non producit, quod produci non poteſt, idcircò concurſus admittendus eſt, ſeu immediata & efficiens cauſa eſt omnium actionum cauſarum ſecundarum. Sed nè quis tam ridiculam argumentationem tanto *Profeſſori* non ſine injuriâ imputari exiſtimet, ejus verba repetemus. *Si Deus* (inquit) *conceſſâ & conſervatâ agendi vel non agendi facultate ſolum permittit creaturam agere vel non agere*, id eſt, ſi Deus non concurrit, ſeu ſi non eſt cauſa immediata & efficiens actionum, tum varia ſequuntur, è quibus hoc unum eſt, quòd Deus *nihil amplius præſtat, cùm benè agit creatura, quàm cùm malè*, ſed hoc inter alia abſurda

surda recenſet, ergò & prius abſurdum eſt, Deum ſcilicet non eſſe cauſam efficientem & immediatam actionum cauſarum ſecundarum. Quamobrèm verò Deum nihil amplius præſtare cùm creatura benè, quàm cùm male agit, abſurditate non vacat? Si actionem ipſam, quæ eſt mala, conſideremus, ea non minùs, quàm actio bona, eſt à Deo efficienter & immediatè, atque ideò hoc reſpectu nihil amplius præſtat, cùm benè agit creatura, quàm cùm malè; Reſtat igitur malitia, quam, quia privatio eſt, Deus efficere non poteſt; Ac proindè abſurdum eſt Deum nihil amplius præſtare cùm creatura benè agit, quàm cùm malè, abſurdum propterea eſt Deum non concurrere, ſeu quod eodèm recidit, quia Deus non producit improducibile, concurſus admittendus eſt. Sed præter creationem & conſervationem virium, permiſſionem, præcepta,

pro-

prohibitiones, gratiam, occasiones, præmia & minas, *Professor* asserit Deum cum causis secundis actu influere, concurrere, coëfficere, cooperari, earum actiones concurrendo dirigere, determinare &c. Quomodò probat, jam disp iciamus. *Ista* (inquit) *Deum agere circa operationes causarum secundarum, probari posset nisi id nimis esset manifestum, & probatum extaret in Theol. naturalis & supern. scriptor.* Si res sit nimis manifesta, quarè incipit hæc *Professoris* disputatio à querelâ de difficultate, & sudore philosophico indè promanante? Si res sit nimis manifesta, quid opus est tot de concursu dissertationibus, tó que explicationibus *Heereboordianis?* Si res denique sit nimis manifesta, cur concursum duplici argumento probare conatur? Sed, doctissimum *Professorem*, se nondum concursum probâsse, non latet: illi satis est, quòd res est nimis manifesta, & quòd probari

bari posset, nisi quòd ab aliis probaretur. Expectavimus demonstrationem concursus, sed hunc laborem à se prudens amolitur *Heereboordus*. Res nimis manifesta est, & probatur ab aliis. Pergit *Professor*.

HEEREBOORDUS.

VI. Hæc efficacia *ac* realitas concursus *divini contra* Durandum *stabilita, poni debet* circa omnes omnium causarum secundarum actiones; *etiam illas quæ sunt peccaminosæ, id est, afficiuntur malitiâ: dico expresse, circa* actiones *malas, non circa malitiam actionum: circa* actiones *malas,* ut *sunt* actiones: *sic enim bonæ sunt in genere naturæ ac suo modo entia. consequenter, & dependent à Deo cum exercentur: itaque licet actiones quædam respectu creaturarum fiant subjectum malitiæ, ipsæ tamen actiones non exercentur nisi dependenter à concursu divino: aliequin aliquid, quod revera*

est

est & existit, eximeretur Dei providentiæ & efficientiæ. Quare nuda Dei permissio à non nullis invecta circa actiones creaturarum, vel in genere vel specie malas, figmentum est derivatum ex hac sententiâ Durandi *jam refutatâ. Concludimus* : Deus non tantum vires largiendo, conservando, aut otiosè permittendo, sed efficaciter operando concurrit ad actiones, tum malas, quâ sunt actiones suoque modo entia in genere naturæ : sed ad malitiam concurrit tantum permittendo : ad bonitatem, novo & speciali gratiæ influxu insuper de novo quasi cooperando.

EXAMEN.

Metuit *Professor* nè actiones peccaminosæ concursui divino surripiantur. Ex ipsius sententiâ, Dei providentia salva non est, nisi concursus Dei Optimi Maximi ad actiones etiam

etiam peſſimas extendatur. Nos *Anim. Meael.* L. 2. actiones eſſe poſitivè malas; Deum ad actiones malas, ſive poſitivè, ſive privativè ſint malæ, non concurrere; actuum elicitorum permiſſionem propriè ſic dictam non dari; permiſſionem malitiæ, quam tuentur adverſarii, eſſe rem prorſùs abominandam; actiones denique malas efficientiæ divinæ, non providentiæ eximendas eſſe, fuſiùs demonſtravimus. Actum agere nolumus; eò *Lectorem* abiegamus. Hîc loci unicum errorem, ſed egregium, obſervare ſufficiat. Cùm enim concurſus (ſi detur) & actio creaturæ, ſint una atque eadem actio; (ut ipſe *Heereboordus* poſtea fatetur) cumque eadem actio à ſe ipſâ dependere nequeat; falſiſſimum eſt quod aſſerit *Profeſſor*, nimirùm, ***Actiones non exerceri niſi dependenter à concurſu divino.***

Heereboordi

HEEREBOORDI, Disput. 8. de concursu causæ primæ, Thes. 1.

DAri Concursum Divinum, & Deum verè esse causam omnium effectuum & actionum, quæ à causis secundis producuntur ac proficiscuntur, disputat. septimâ ostendimus, cum præter potentiæ activæ in causis secundis creationem, præter ejus conservationem, præter permissionem in agendo concessam, aliquid amplius in agendo fieri, circa actiones causæ secundæ omnes, etiam vitiosas, scilicet efficaciam aliquam, realitatem & actualitatem aliquam ab eo proficisci, quæ efficaciter, revera, actu, ipsam causæ secundæ actionem comproducit, exposuimus ac probavimus. Nunc, quid sit ille concursus aut cooperatio, in quo consistat, & qua ratione causa prima cum causis secundis ad quemcumque effectum concurrat, & cooperetur

cooperetur in omnibus actionibus omnium creaturarum, *explicandum restat, quod explicatu fatemur esse tam difficile, ut nihil sit in totâ Philosophiâ difficilius: verum difficultatem compensabit maxima hic utilitas: Nos perspicuitati, in re obscurâ, studebimus, & primum varios modos distincte recensebimus, quibus varii virie concursum Dei explicant, actum quomodo hic sit sentiendum & loquendum docebimus.*

EXAMEN.

QUàm fœliciter superiori disputatione concursum explicârit *Heereboordus*, & quàm strenuè ac nervosè ipsum demonstrârit, ex nostro Responso judicet *Lector*. Nunc, non sine querelâ de gravissimâ difficultate, & gloriatione de maximâ utilitate, pro more suo, accingit se ad explicandum quid sit ille

concursus, aut cooperatio, in quo consistat, & quâ ratione causa prima cum causis secundis ad quemcumque effectum concurrat, & cooperetur in omnibus actionibus omnium creaturarum. Sed cui usui nisi litibus penè innumeris & procreandis & fovendis inservit concursus? Certè, contrarietas opinionum de concursu, (quas paulò pòst recenset *Heereboordus*) non dari concursum, irrefragabili argumento est. Nam, cùm quâ ratione una actio efficientiæ divinæ eximitur, eâdem & omnis alia eximatur; cùm omnes opiniones de concursu sint actiones causarum secundarum; cùm deniq; earum opinionum nonnullas, falsas esse sit necesse; si Deus ad falsas istas de concursu opiniones non concurrat, seu si illarum falsarum opinionum non sit efficiens & immediata causa, nec ad alias actiones concurrit, seu aliarum actionum causarum secundarum non est causa efficiens

efficiens & immediata: Sed Deus, opinionis, quæ falsa est, causa efficiens & immediata esse non potest, aliàs fides, quam Deo adhibemus, periclitaretur, evanesceret. Etenim, si verum sit, Deum, qui *prima veritas* est, posse esse causam efficientem & immediatam opinionis, quæ falsa est, quidni & tota *S. Scriptura*, licèt à Deo, ut causâ efficienti & immediatâ proficiscatur, falsa esse possit? Num de veritate oraculorum Divinorum certi esse possumus, si opinionis alicujus, quæ *falsa* est, Deum, efficientem atque immediatam causam esse constet? Vide *Anim. Medel.* L. 2. C. 11. ubi hoc argumentum fusiùs prosecuti sumus, atque à cavillis & exceptionibus vindicavimus. Dixit *Professor* Disp. præcedenti, Deum concurrendo dirigere & determinare actiones causarum secundarum. Num *prima veritas concurrendo* dirigit & determinat creaturam su-

am ad *falsam* de *concursu* opinionem? Tuam hîc, *Professor*, appello conscientiam.

HEEREBOORDUS.

II. ¶ Quidam *ponunt concursum divinum* in Dei volitione simpliciter: *& his, Deum concurrere cum causis secundis, nihil est aliud, quàm Deum velle actus causarum secundarum: sed hi confundunt voluntatem cooperandi seu decretum, cum ipsâ cooperatione actuali, & voluntatis ac decreti executione: ille concursus vocatur à* Scholasticis *concursus* intra, *& aliter* guttur *à concursu* ad extra, *de quo nos nunc agimus.* ¶ Alii *volunt, Deum cum creaturis ad earum actiones non aliter concurrere, quam* quatenus essentiam iis & agendi potestatem dat, atque utramque conservat, aut ad summum quatenus causam secundam agere permittit *sed hi concursum cum creatione & conservatione*

ne confundunt, & aliquid, quod verè sit in rerum natura, faciunt independens à Deo, ut disputat. sept. *fuit ostensum.* ¶ Alii *ponunt concursum* in virtute aliqua superaddita, *quâ aiunt creaturam sufficientem reddi ad agendum.* ¶ Alii *rursus ponunt concursum* in motione *rerum creatarum, vel* in causarum secundarum excitatione & *ad agendum* applicatione. ¶ Thomas Aquinas sum. Theolog. 1 quæst. 105. contra gentes l. 3. cap. 70. *ponit concursum Dei* in hisce quinque : 1. *quatenus vires & facultates agendi dedit causis secundis.* 2. *quatenus ipse eas tuetur ac sustentat in esse & vigore.* 3. *quatenus excitat & applicat causas secundas ad agendum.* 4 *quatenus ipse eas determinat ad agendum.* 5. *quatenus eas regit ac dirigit, ut ad fines suos sibi præstitutos perveniant.* ¶ Postremo alii *dicunt concursum Dei nihil esse aliud quàm* positivum influxum, *quem præbet immediatè* ad effectum *vel*

actionem causæ secundæ; *non quatenus aliquid in causâ secundâ, quicquid illud foret; sed quatenus aliquid cum causâ secundâ, efficit: ponuntque eum concursum* in actione qua Deus immediate influit in omnes actiones creaturarum, *ita ut actiones istæ dici possint, non solum à creaturis, sed & à Deo immediatè pendere. Hunc ultimum concurrendi modum vocant* Philosophi *concursum* per modum actionis, *quatenus videlicet Deus est proximum principium operationis, quæ à causis secundis editur, ita ut eadem illa sit & operatio & actio Dei concurrentis: est enim hic concursus per se & essentialiter aliquid per modum actionis, vel per modum τῦ actualis fieri ipsius actionis immediatè profluentis à Deo: unde etiam concursus hic intimè & per se includitur in ipsa creaturæ actione, tanquam per se quoque & immediatè tendens ad eundem terminum, ad quem tendit actio creaturæ, quæ ratione termini eadem est*

cum

cum ipsâ Dei cooperatione : reliquos modos concurrendi, præter ultimum, recensitos, vocant Philosophi, *concursum* per modum actus primi, *concursum* per modum conditionis ad agendum prærequisitæ, *concursum* per modum principii.

EXAMEN.

Si omnis actio creaturæ sit immediatè à Deo, tanquam à causâ efficiente, volitionem Divinam terminatam ad ipsam præsupponit. Non enim operatur Deus, nisi quod ipse vult. Cùm autem volitio Divina actionem *præcurrat*, quomodò dicetur Deus actionem creaturæ volendo, cum creaturâ *concurrere?* Sed *concursus ad intra* nuncupetur ; de verbis litigare nolumus: veruntamen volitionem divinam ad actiones liberas creaturæ non terminari *Anim. Med.* L. 2. demon-

ſtratum eſt ; ita ut, quod ad hujuſmodi actiones attinet, ad eas nè *concurſus* quidem *ad intra* concedendus ſit. De cæteris creaturarum actionibus, omnibus ſcilicet neceſſariis, non ita ſoliciti ſumus. De iis tantùm dicimus quòd quamvis non ſint à Deo efficienter & immediatè, terminant tamen volitionem Divinam, quâ ſtatuitur ut à cauſis neceſſariò agentibus promanent. Nam Divini decreti efficacia & actionum neceſſitas benè conveniunt. De ſecundo modo Diſp. ſuperiori dictum eſt : verùm, quinam ſunt iſti vel *Theologi* vel *Philoſophi*, qui negant actionem creaturæ eſſe à Deo immediatè & efficienter, & dicunt tamen Deum concurrere creando & conſervando eſſentiam ac facultates, & permittendo actiones? Qui iſtud negant, concurſum, non cum creatione, conſervatione & permiſſione confundunt, ſed planè rejiciunt. Et, cur quæſo aliquid,

liquid, quòd verè sit in rerum naturâ, faciant independens à Deo? Nonnè præter generalem & immediatam dependentiam, quâ, quicquid Deus non est, ejus omnipotentiæ immediatè subditum est, quod mediatè à Deo est, a Deo quoquè dependet mediatè? An mediata dependentia est independentia? Tertius modus, est virtus creaturæ superaddita, quâ sufficiens ad agendum redditur. Hæc sufficientia à Deo mutuitia, quia operationi creaturæ prævia est, haudquaquàm inter modos concurrendi recenseri debet; & qui concursum diserte inficiantur, sufficientiam illam non negant. Quartus modus, est causarum secundarum motio, excitatio & ad agendum applicatio; prædeterminatio physica & motio virtuosa appellari solet: verùm, hæc prædeterminatio est *præcursus*, non *concursus*, eámque haud admittendam esse *Anim. Med.*

L. 2.

L. 2. C. 12. oſtendimus. Quintus modu
eſt *Aquinatis*, & conſta: ex primo, ſecundo
& quarto, paulò antè recenſitis, & actionum
creaturarum ad fines ſuos directione, q
ad concurſum impertinens eſt. Poſtremu
modus, eſt poſitivus & immediatus in
fluxus in actiones creaturarum, qui, ut ipſe
explicat, eſt ipſa creaturæ operatio. An da
tur poſitivus & immediatus influxus in ſei
pſum? Ad modùm infœliciter ſex concur
rendi modos enumerat *Heereboordus*. Po
ſtremus, contradictionem implicat, ridicu
lus eſt: Priores quinque, nè modi quidem
concurſus appellandi ſunt, niſi terminis ab
utamur, & actum primum, ſeu principium
operationum, ac conditionem ad operan
dum prærequiſitam, vi verbis illatâ, coope
rationis, ſeu concurſus nomine dignemur.

HEEREBOORDUS.

III. Sed & distinctiones quædam sunt tenendæ, quibus Philosophi *hîc utuntur, ut quid sentiendum sit ac loquendum, in hac sententiarum varietate rite rectèque doceamus.* ¶ *Distinguitur* concursus *nonnullis in physicum & moralem*: Physicus, *quo quis per modum causæ physicæ concurrit & agit*: moralis, *quo per modum causæ moralis: causam verò* physicam *vocant, quæ verè & efficaciter agit, & realiter in effectum & actionem vero & positivo influxu influit*: moralem, *quæ agit suadendo tantum aut dissuadendo, vel objecta & occasiones proponendo aut removendo, vel activa interdum passivis applicando.* ¶ *Alijs distinguitur concursus* in mediatum & immediatum: *quæ distinctio intelligenda est de* mediatione *vel* immediatione, *tum* suppositi, *tum* virtutis: quomodo,

modo, *dictum est disp. præced.* ¶ *Distinguitur etiam nonnullis concursus in* indifferentem seu non determinantem & determinantem illo *per modum causæ* universalis (*unde alijs dicitur concursus universalis*) hoc *per modum causæ* particularis (*unde alijs dicitur concursus particularis*) *influit Deus in effectum & actionem causæ secundæ.* ¶ *Distingui etiam plerumque solet concursus in Dei* prævium *sive* prædeterminantem, *& simultaneum sive* concomitantem. *Duplex enim intelligi potest Dei motio circa voluntatem creatam: una quasi antecedens, non tempore sed in signo rationis, actualem concursum ad voluntatis creatæ actum: altera in ipso actuali concursu consistens: illam vulgo dicunt esse ex prærequisitis ad agendum: hanc ex concomitantibus: per illam causæ secundæ moventur ad suas actiones, per hanc verè agunt: secundum diversas & distinctas concursus acceptiones, diversæ quoque extant & distinctæ*

hic

hic sentientium & loquentium Philosophorum sententiæ.

EXAMEN.

Varias hîc loci distributiones concursus recenset *Heereboordus*. Prima est concursus in *physicum* & *moralem*,. An posterior, jure *concursus* appellandus sit, ambigimus; sed utrum *concursus* ille, quem *moralem* vocat, admittendus sit, haudquaquàm dubitatur. Secunda distributio concursus est in *mediatum* & *immediatum* : verùm, Deum, quotiescunque agit agere immediatè immediatione & *suppositi* & *virtutis*, prout immediatio *suppositi* & *virtutis* ab ipso in superiori disputatione explicatur, quis diffitetur? Deum esse verè *indistantem* ab omnibus rebus, & virtutem, per quam agit, non aliunde recipere, nullus negat : quocircà, cùm

ex

ex sententiâ *Heereboordi*, illud mediationem *suppositi*, hoc mediationem *virtutis* prohibeat; Deum, quotiescunque agit, agere immediatè immediatione *Heereboordianâ*, nemo dubitat. Tertia est in *indifferentem* seu *non determinantem*, & *determinantem*. Gradus superiores & inferiores non nisi ratione distinguuntur; quamob èm eandem efficientem causam agnoscunt. V. g. non datur alia efficiens causa substantiæ, hominis, ambulationis, alia entis, animalis, actionis: aliàs pro feracitate intellectus per abstractionem gradus multiplicantis, efficientes causæ multiplicarentur. Esse *individuale*, esse *specificum* & esse *genericum* reipsâ non discrepant, & eandem habent efficientem causam: non quasi productio physica, ad esse *genericum* vel *specificum*, quà vel *genericum* vel *specificum*, terminari possit, sed quia omnis physica productio terminatur ad esse *individuale*,

duale, cui nec esse *genericum*, nec esse *specificum* reipsâ diversum est. Ac proindè, cogitare q ò d Deus concurrendo physicè producat vel esse *genericum*, non *specificum* & *individuale*, vel *genericum* & *specificum*, non *individuale*, est figmentum prorsùs intolerabile. Quarta distributio *concursus* est in *prævium* sivè *prædeterminantem*, & *simultaneum* sive *concomitantem*. Verùm hoc modo *concursum* dividere, idem est ac si dicas, *concursus* est vel *præcursus*, vel *concursus*. Num Deus est causa efficiens atque immediata divisionum tam ridicularum? An *Heereboordus*, ut *Moyses*, *distinxit in labiis suis?* Psal. 105. v. 33. Distinctionibus, quales quales sunt, enumeratis, subjungit: *secundùm diversas & distinctas concursus acceptiones, diversæ quoque extant & distinctæ hîc sententium & loquentium Philosophorum sententiæ.* Vulpium *Samsonis* caudæ junctæ fuerunt, capita non item. HEEREBOORDUS

HEEREBOORDUS.

IV. Multi ex Philosophis *negant, Deum concurrere ullo modo per modum principij; negant eum concurrere motione prævia, concursu prædeterminante: sic sentiunt omnes Jesuitæ, ex quibus inter alios videantur*, Suarez. disp. Metaph. 22. sect. 2. & 3. Conimbricenses l. 2. Phys. cap. 2. quæst. 12. & 13. *& alij quos sequuntur* Philosophi, *qui ex illorum scriptis ferè latiunt*, Christ Scheiblerus, & Jacobus Martini, *in suis Metaphysicis, & ex Reformatis* Guinardus Rutgersius, *& qui olim in Academiâ hac nostrâ Philosophiam professus est, subtilitatis nomine celeberrimus*, D. Gilbertus Lucchæus, *utique* in suis *item* Metaphysicis: *Hæc tamen sententia sine ullâ limitatione proposita satis est periculosa in rebus fidei, ubi omnino ac necessario motio prævia admitti debet:*

debet : itaque alter hujus Academiæ nuper Philosophus, piæ memoriæ Clarisſ. D. Burgersdicius diſtinguebat actiones ſupernaturales à naturalibus : in naturalibus negabat Deo eſſe tribuendum concurſum per modum principii tantum, aut per modum principii & actionis ſimul : quia vero in actionibus ſupernaturalibus creaturæ non habent ſufficientem virtutem, ut eas eliciant, dicebat eſſe neceſſarium, ut Deus cum illis concurreret non ſolum per modum actionis, ſed & per modum principii, ut videre eſt ejus ſententiam in Metaph. l. c. 11. Quidam ex Scholaſticis arbitrati ſunt, in iis, quæ à libero hominis pendent arbitrio, concurſum Dei, non eſſe phyſicum, ſed moralem, & hinc ab heterodoxis Philoſophis arrepta eſt occaſio dicendi, quòd Deus non concurrat ad converſionem noſtri phyſicè, ſed moraliter tantum, ſuadendo, hortando, &c. Quidam abuſi ſignificatione terminorum, (immediatione virtu-

tis & ſuppoſiti) *quos non benè intellexerunt negarunt Deum concurrere immediate immediatione ſuppoſiti. Quidam concurſum Dei quem per modum actionis tantum agnoſcunt ſtatuunt eſſe univerſalem & indifferentem, Ieſuitæ omnes : ſed non eodem modo explicant aliter* Pererius l. 9. c. 13. Phyſ. General *quem ſequitur inter Reformatos* Rod. Goclen c. 34. in prodromo Lex. Phil. *aliter* Conimbric. loc. cit. quæſt. 15. art. 2. *quos ſequitur ex Reformatis* Rurgerſius. l. 2. c. 4. *in ſui* Metaph. *aliter* Bellarminus, *qui ſibi non conſtat*, Tom. 4. controv. l. 2. c. 18. & lib. 4. cap 15. *aliter* Suarez. Diſp. citata. *Subtiliſſimus* Jacchæus *fatetur res naturales determinari per concurſum Dei, ſed liberas non item : quas non à Deo, ſed à ſe, nec ad unam, ſed ad plures actiones determinari à ſe, aſſerit*, cap. 30. l. 3. Met. Cl. Burgerſdicius *licet negat concurſum cauſæ primæ determinari à cauſis ſecundis*

candis quoad *specificationem*, thes. 13. c. 11. l. 2. Metaph. *adhibitâ tamen distinctione actionum naturalium & supernaturalium, dicit Deum concurrere*, th. 7. ejusdem cap. *ad omnes creaturarum actiones, ut causam universalem indifferenter : ideoque specificationem actionum naturalium*, (*nam in supernaturalibus fatetur esse aliam rationem.*) *non Deo sed ipsius creaturis vult esse adscribendam : hinc quod homo se moveat, Deo deberi (in eo enim movemur) sed quod motus ille sit ambulatio, homini tribuendum esse*, ibidem *asserit. Nos contra hosce omnes, statuimus*, Deum concurrere ad actiones creaturarum, non tantum per modum principii, tum physici, tum moralis, sed & per modum actionis, idque immediate, tum immediatione virtutis, tum suppositi, & quidem concursu particulari ac determinante, prævio ac simultaneo. *Sed distincte juxta præmissa* th. 2. & 3.

ſententiam noſtram enunciabimus, explicabimus, probabimus.

EXAMEN.

Fuerunt olim, qui *turrim, cujus culmen pertingeret ad cælum*, ædificare voluerunt; ſed *confuſio* & *diviſio* audaces iſtos conatus irritos reddiderunt. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras.* Gen. c. 11. Authores, qui concurſum adſtruere conantur, confuſione non diſſimili ac diviſione laborare, vel ſententiarum, quas nobis hîc loci exhibet *Heereboordus*, indicat diſcrepantia. Illi à linguarum confuſione in terras univerſas diviſi, ab opere deſtiterunt; hi verò, etiamſi ita confundatur eorum lingua, *ut non audiat*

unuſquiſque

unuſquiſque vocem proximi ſui, ipſíque in ſententias maximè variantes dividantur, in inſtituto, ſed infœlici, perſiſtunt. Tam diverſæ tantorum Authorum de *concurſu* ſententiæ, ſaltem vel cum dari, incertum eſſe; vel ejus naturam ita obſcuram eſſe demonſtrant, ut candidi omnes atque ingenui rem tantoperè controverſam prorſùs negari facilè patiantur. Sed ſententia negans Deum concurrere per modum principii, motione prævià, concurſu prædeterminante, *ſatis eſt periculoſa in rebus fidei, ubi omninò ac neceſſariò motio prævia admitti debet.* Deum eſſe peccati Authorem, hominem non liberè ſed neceſſariò agere, aliáquehujus farinæ dogmata, ſine ullâ hæſitatione deglutire, ſunt res illæ fidei, in quibus ſatis periculoſa eſt ſententia, quæ prædeterminationem phyſicam inficiatur; res verò, quæ in *Sacrâ Scripturâ,* & ex ipſâ, ab *Eccleſiâ,* ut credendæ

dendæ proponuntur, prædeterminationis istius negatione haudquaquàm periclitantur. Dat Deus præcepta, præmia pœnásque proponit; verbi sui præcones, qui homines sui moneant officii, mittit; illuminat intellectum; voluntatem libertate donat; libertatem gratiâ sufficienti dignatur; hominémque in manu consilii sui relinquit; sed hæc omnia sunt nihili, Deus oleum & operam perdit, fides in tuto non est, nisi accedat prædeterminatio *physica*; quam, quia est è rebus *fidei Heereboordianæ*, inter *credenda* sua, sed nunquam *probanda*, reponat *Heereboordus*. Præter concursum, quem Professor *moralem* vocat, ad conversionem nostri amplius exigi haud diffitemur. Quod verò ad eos attinet, *qui significatione terminorum* (immediatione virtutis & suppositi) *quos non benè intellexerunt, abusi sunt*; inter illos ipsos *Heereboordum* primas obtinere, ex nostro

ſtro præcedentis Diſputationis examine abundè conſtat; ut & quid de concurſu *inde ferente* ſentiendum ſit. Recenſitis Authoribus de *concurſu* diſſidentibus, adverſùs illos omnes, ſive ſint *Reformati*, ſive non, ſtatuit, *Deum concurrere ad actiones creaturarum, non tantùm per modum principii, & cat.* Hanc ſuam ſententiam quomodò enunciaturus eſt, explicaturus, & probaturus, jam diſpiciamus.

HEEREBOORDUS.

V. Concurſus Dei non eſt volitio ſimpliciter: *non ergo, volitionem divinam prærequiri ad concurſum; ſed tamen iſta volitio, non eſt ipſe concurſus, ſecundum quem Deus influit ad extra, ad productionem actionum in cauſis ſecundis: nam Volitio ſimpliciter eſt actio Dei immanens; ſed concurſus eſt actio extra Deum*

transiens : volitio Dei juxta nostrum intelli-
gendi modum præcedit concursum, uti & cre-
ationem & conservationem : neque enim sunt
istæ actiones volitiones formaliter ac simpliciter,
sed volitionis executio & terminatio extra De-
um. ¶ *Concursus Dei* est quid amplius, quam
quod *causis secundis essentiam* dederit *ac vires*
agendi, *& utrumque in suo esse ac vigore con-*
servet, *denique eas agere* permittat, *quod satis*
disp. superiore *est probatum.* ¶ *Concursus*
Dei non consistit propriè in virtute superad-
dita, *qua creatura reddatur sufficiens ad actum*
suum : nam in naturalibus actionibus nulla
virtus superadditur : in supernaturalibus vir-
tus quidem aliqua divina, ut fides, aut alia,
superadditur, sed non est adhuc sufficiens tum
causa secunda ad actum supernaturalem elicien-
dum, nisi concursus & influxus divinus de no-
vo accedat. Sed argumentemur. Si Dei concur-
sus in eo consistit, ut indat creaturis novam &
ulteriorem

teriorem agendi vim, illa virtus indita, erit haud dubiè qualitas, ibi creata vel in agente secundo productâ, ut per eam operetur : sed verò ad hunc finem, ut operetur creatura, hæc vis & virtus de novo ei inditur & in eo creatur ut sit efficax actu, non minus requiret concursum Dei, quam alia qualibet virtus *à naturâ indita : & si ille concursus iterum consistat in virtute novâ inditâ, dabitur progressus in infinitum ; nam iterum rogabo, an non novum requirat concursum ut operetur, quandoquidem est virtus creata ac finita : Certe concursus divinus sive dependentia à Deo in agendo convenit rebus creatis in operando, ex eo quod sint creata entia : ergo convenit omni enti creato in operando : ergo & illa virtus creaturæ superaddita ad actum suum eliciendum, isto modo dependebit à Deo, ejusque concursu indigebit : ergo ante concursum, quo eget, non est illa virtus indita sufficiens ad actum suum : egebit itaque virtus*

superaddita

ſuperaddita adhuc concurſu, id eſt, ex illorum ...*itet,* ... *hypotheſi, aliâ virtute ſuperadditâ, & hæc alia* ... *certa* ... *& ſic dabitur progreſſus in infinitum.* ℣ *Con*... *curſus Dei ex parte* bene collocatur in moti... one *cauſarum ſecundarum*, excitatione *& ad*... *agendum* applicatione, *juxta vulgatum hoc* ... cauſæ ſecundæ non agunt niſi motæ à prima ... *Dico* ex parte, *quia non in ſola motione, excitatione, applicatione cauſæ ſecundæ, eum collo-co, ſed plus etiam requiro : itaque,* ℣ etiam eſt poſitivus influxus in ipſam actionem, *ita ut Deus non tantum aliquid efficiat in cauſa ſecundâ cum concurrit eam præmovendo, ſed & aliquid efficiat cum eâ, quod ipſa vox* concurſus *evincit, ita ut concurſus Dei ſit actio & eadem cum actione cauſæ ſecundæ.* ℣ Nec malè Thomas Aquinas in iis quinque *quæ recenſuimus* th. 2. *concurſum* ponit, *licet in iis quinque formaliter non conſiſtat. Quod Deus concurrendo quandoque ſpecialiter moveat, excitet,*

tet, applicet causas secundas ad actiones, certo certius est, & liquet ex eo quod corda homi-num moveat & inclinet, quo vult : sed an semper, quando concurrit Deus, concurrendo ad operationes causarum secundarum, eas moveat, excitet, applicet, quæstio est ardua : Putem quod sic : contra Jesuitas, Suaresium *& alios, qui eos sequuntur, ac* seq disp. *probatum dabo, quod nunc propter angustiam chartæ non licet.* Quod Scheiblerus *hic dicat, istum concursum solum terminari ad causam agentem & non ad actionem, falsum est : nam concursum non pono tantum in ista præmotione, excitatione & applicatione, sed & in influxu in ipsam actionem terminato, ut jam est dictum.*

EXAMEN.

De volitione Divinâ ad th. secundam dictum etc. Sed quid sibi vult *Professor*, cùm

cùm dicit : *Volitio Dei juxta noſtrum intelligendi modum præcedit concurſum?* Ex ſententiâ *Heereboordi*, concurſus eſt in tempore, & volitio Divina ab æterno. Num quod æternum eſt, tantùm juxta noſtrum intelligendi modum, præcedit id quod in tempore eſt? Cùm dicit concurſum eſſe aliquid præter productionem, conſervationem & permiſſionem, tantùm repetit, quæ ad examen antèà revocavimus. Tranſeat illius adverſùs virtutem ſuperadditam argumentatio. Ad actiones ſupernaturales, virtute ſuperadditâ opus eſt; ad actiones naturales non item; quandocunquè verò ſuperadditur, concurſus in eâ admodùm ineptè collocatur, ut liquet ex ſuprà dictis. Non contentus eſt *Profeſſor* motione, excitatione & applicatione cauſæ ſecundæ, (quas nunquam probavit) verùm amplius (quod nunquam probaturus eſt) requirit ſatis pro imperio; & *contradictionem*

ridictionem in adjecto dictitat ſolenniter & aldè magiſtraliter. Nam, quæ res eſt illa, quam ultra motionem, excitationem & applicationem requirit? *Etiam* (inquit) *eſt poſitivus influxus in ipſam actionem*, &c. *ita ut concurſus Dei ſit actio, & eadem cum actione cauſæ ſecundæ.* Deus bone! ad incitas redactus eſt concurſus, cùm ipſi confugiendum ſit ad abſurditatem tam manifeſtam. Quæ enim contradictio major eſſe poteſt, quàm actionem eſſe poſitivum influxum in ſeipſam? Quid cogitandum ſit de iis quinque, in quibus *Aquinas* concurſum collocat, ſuprà oſtenſum eſt. Concedimus quidem Deum ſpeciali quodam modo excitare corda hominum ad credendum, reſipiſcendum, & ad edenda omnia alia opera, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis, ſed infundendo gratiam, quæ dat ſufficientiam & inclinationem, non vel *concurrendo*, vel *phyſicè prædeterminando*;

terminando: & si hæc gratiæ infusio, *concursus* appelletur, (quod tamen non probamus) *concursum* istum ad causam agentem, non illius actionem terminari, unà cum *Scheibl*ero non diffitemur. Cùm verò actiones sunt merè naturales, qualitatis istiusmodi infusione haud opus esse judicamus. Quid Disputatione sequenti probaturus est, posteà videbimus. Certè, hactenùs argumenta desideravimus, & angustiam chartæ (quâ *Professor* laborat) impræsentiarum deflemus.

HEEREBOORDUS.

VI. Ad distinctiones progredior, easque singulas concursui applicabo. ℣ *Deus* concurrit & moraliter, *suadendo, hortando, activa passivis applicando, sed præsertim* Physice *efficaciter cum causis secundis cooperando. Nam concursus moralis non salvat influentiam rea-*

lem,

lem, quæ est in concursu divino ad effectum & actionem causæ secundæ: ut enim qui hortatur, suadet, aut ignem applicat domui, non est causa physica & propriè dicta combustionis; sic si Deus tantum agat moraliter, non erit physica quoque, vel quod in hac materia præstat dicere, hyperphysica, aut propriè dicta causa actionis causæ secundæ. 3. Deus concurrit immediatè *cum causis secundis ad operandum, & quoad* suppositum, *& quoad virtutem, quod* præced. disp. *est ostensum. 4. Deus* concurrit, ut causa, *&* universalis, *&* particularis; *sed cum distinctione: concurrit,* ut causa universalis, *ratione objectorum variorum, imo omnium: nam Deus concurrit ad actiones omnes omnium causarum secundarum: at vero non est causa universalis,* sed particularis *ratione modi agendi, quia Deus non tantum concurrit ad esse generícum actionis, sed & specificum & individuale, quà est ens, quà actio, quà actio talis in*

genere

genere naturæ. & Deus non tantum concurrit *ad omnes actiones creaturæ*, concursu simultaneo & concomitante, *quem omnes admittunt, præter* Durandum *& eos, contra quos egimus* disp. præced. sed præterea concursum prævio & prædeterminante, *quem Iesuitæ negant, Dominicani affirmant: & ob quam sententiarum pugnam multæ extitere inter eos utrimque simultates & odia, quæ tollere nunquam est ausus Pontifex, decidendo, utra ex duabus hisce sententiis Philosophicis sit vera. nos eo audaciores veram esse pronunciamus, &* sequenti disp. *eam explicabimus ac probabimus, quæ concursum prævium ac prædeterminantem admittit.*

EXAMEN.

Enunciationem sententiæ & explicationem, quas sub finem th. 4. pollicitus est *Professor*

feſſor, vidimus; nunc probationem, quam ibidem quoque promiſit, qualiſcunque ſit, perpendamus. *Si Deus* (inquit) *agat tantùm moraliter, non erit phyſica cauſa actionis.* Agere *tantùm moraliter* excludit τὸ *phyſicè* agere; ita ut dicere: *Si Deus agat tantùm moraliter, non erit phyſica cauſa actionis*, ſeu *non aget phyſicè*, idem ſit, ac ſi dicas: *Si Deus agat moraliter & non phyſicè, Deus non erit phyſica actionis cauſa*, ſeu *non aget phyſicè.* A que ita, concurſus tantùm moralis à *Profeſſore* confutatur. Concurſum *immediatum* & quoad *ſuppoſitum*, & quoad *virtutem* Diſp. 7. ſe probâſſe ſupponit; ſed quàm fœliciter, ex noſtro Examine judicet Lector. Concurſum *univerſalem*, ſeu *indifferentem* ſuprà profligavimus ipſi: ſed quomodò demonſtrat *Profeſſor*, quòd Deus, ut cauſa *particularis*, concurrit, jam conſideremus. Deum, ut cauſam *particularem*, concurrere, eſt eum concurrere

ad esse actionis *specificum*; quandò itaquè *Professor* probat, quòd Deus concurrit, ut caus *particularis, quia Deus non tantùm concurrit ad esse genericum actionis, sed & specificum & individuale*, est manifesta *petitio principij*. Quod attinet ad *concursum*, quem ille *prævium* appellat, cum hîc loci probare non vacat ipsi; sententiam tamen, quæ *prævium* concursum admittit, *Pontifice* audaciore, veram esse pronuntiat. Qualis qualis sit illa chartæ angustiis, de quâ paulò antè conquestus est *Professor*, ea ad cramben millies coctam reponendam & ad pollicitationes reiterandas sufficit. Magnum procul dubio fuit *Professori* otium, aliàs tot repetitionibus inutilibus, probationibus tam ridiculis, & pollicitationibus tam frequentibus haud-quaquàm indulsisset. Sed pergat *Professor*.

Heereboordi Disp. ex Philos. select. 9. de concursu, Thesis prima.

Decidenda nunc est, explicanda, & probanda, celeberrima atque utilissima quæstio, An præter concursum Dei simultaneum, qui nihil est aliud, quam actio ipsa causæ secundæ, ut à Deo procedit, detur concursus prævius, qui nihil est aliud, quam motio quædam, virtutem activam creaturæ complens, eam excitans, applicans, determinans ad agendum. *Hæc controversia ante annos plus minus sexaginta primum in Hispania, mox Romæ & in Italia, hinc in Galliâ ac Belgio, à Iesuitis mota, & negans sententia acriter defensa fuit contra Dominicanos, qui affirmantem ab Augustino ac suo Thomâ acceptam strenuè propugnârunt: controversiæ originem & progressum fusè narrat* Guilhel-

Cameratius Scotus ac Scotista, *in parte sec. disp. Philos. quæst. 9. Non tantum momenti esset situm in hac controversia, si ipsa intra Philosophiæ limites consistisset; sed enim & Theologiæ pomœria intravit, eamque non leviter infecit: nam qui concursum prævium in naturalibus actionibus primum sustulerunt Iesuitæ, eundem in supernaturalibus iidem sublatum iverunt: hinc, circa bonum spirituale faciendum, dictitarunt, voluntatem seipsam movere, excitare, applicare, determinare, & motionem Dei præviam excitantem, applicantem, determinantem, non minus hîc quam in naturalibus esse otiosam, vanam, inutilem: quæ quo abeant, unusquisque videt: hinc à Iesuitis introducta est ficta libertatis notio, in indeterminata ἀλογοφορίᾳ consistens: hinc scientia media: hinc decreta conditionata: hinc concursus universalis tantum, indifferens, & determinabilis, ac non determinans: hinc moralis tantum in conver-*

tend

tendo homine Dei actio, & alia plura, quæ ceu floſculi pullulant ex negato Dei prævio ac prædeterminante concurſu ad actiones ſupernaturales, ſicut eum negant ad quamcumque actionem, ſupernaturalem & naturalem, Ieſuitæ omnes, Fonſeca, Suarez, Molina, Leſſius, Conimbricenſes, Ruvius, *& qui eos ſequitur* Abra de Raconis, *aliique ex quibus hodie philoſophari conſuevimus : ſequuntur hoſce multi ex Reformatis, qui imprudenter nimis concurſum Dei prævium negant ſine reſtrictione*, Scheiblerus, Iac. Martini, Rutgerſius, Iacchæus, &c. *Cl. D.* Burgerſd. *concurſum prævium in ſupernaturalibus admiſit, in naturalibus ſuſtulit, ſicuti id* diſp. præced. *ex ejus* Metaph. l. 2. c. 11. *eſt oſtenſum.*

EXAMEN.

PRædeterminationem *physicam*, quam *Heereboordus* concursum *previum* appellat, *Anim. Medel.* l. 2. c. 12. impugnavimus; idque breviter, quoniam argumenta, quibus, Cap. præcedente, concursum, quem Professor *simultaneum* vocat, sustulimus, *physicam prædeterminationem* eliminant. De chronologiâ & chorographiâ controversiæ hâc de re motæ non sumus soliciti: Sed utinam *Guilhel. Camerarius* hujus controversiæ tam finem quàm originem & progressum enarrare potuisset. Non minor est veritas, quia *Iesuitæ* eam defendunt; nec falsitas minor est, quia propugnant ipsam *Dominicani*, undecunque suos hauserint errores. Dissentientes hominum opiniones sunt actiones causæ secundæ; earúmque

rúmque altera falsa est : num is qui *pacis*, non *dissensionis* Deus est, *Dominicanos* à *Iesuitis*, & *Iesuitas* à *Dominicanis* ad dissentiendum movet? num ad errandum, suum excitat creaturam? num creaturam adhibeas, contentiones, & dissensiones, quæ *opera carnis* sunt, Gal. 5. v. 20. applicet? num denique Deus *Iesuitas* ad negatiorem prædeterminationis physicæ, physicè prædeterminat? Quamvis autem concursus admodùm ineptè *prævius* appelletur, ab hoc tamen modo loquendi, quia *Heerebeordo* placet, haud abstinebimus : & quamvis quandonam orta fuit de isto concursu controversia, magni non referat; veram tamen atque genuinam ejus originem proponere non gravabimur. Rex *Assyriorum*, securi, serræ, virgæ & baculo comparatur. *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in eâ? aut exaltabitur serra contra eum*

à quo trahitur? quomodò si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est. Isa. 10. v. 15. Quâ ratione verò Rex *Assyriorum*, eâdem & cæteræ omnes creaturæ, respectu Dei, instrumentis comparantur: & quoniam instrumentorum, quarenùs sunt instrumenta, proprium videtur, ut non agant, nisi quatenùs ab eo, cujus instrumenta sunt, moventur; idcircò creaturas omnes, quatenùs à creatore ad agendum moventur, agere, aurumârunt non pauci. Hæc opinio, quoniam creatori plurimum, creaturæ verò minimum tribuere videtur, percrebuit; cámque, complurium Rhetorica, eandem ob caulam luxurians, haud mediocriter promovit. Verùm, inter *similitudinem* & *realitatem*, inter *Rhetoricam* & *Logicam* permultum interest. Deus quidem est omnium creaturarum Dominus, & servus omnis, Domini sui est veluti

instru
ecun
propr
bacul
prim
nisi a
meta
nado
ad gl
cures
creat
quæ
tem p
qui e
nihil
præd
pessi
à se
redes
esset

instru

instrumentum; quòd autem omnis causa secunda, respectu primæ sit instrumentum propriè dictum, ut securis, serra, virga, baculus respectu hominis; ita ut illa, nisi à primâ mota, agere nequeat magis quàm hæc nisi ab homine moveantur, non obstantibus metaphoris, prorsùs inficiamur; & inficiando, nequicquam Deo derogatur. An ad gloriam Dei facit, tantùm producere secures, serras, virgas & baculos? condere creaturam, quæ non mota, agere, quàm quæ non nisi mota agere possit, ad dignitatem primæ causæ magis conducit; Deóque, qui est summa bonitas & suprema sapientia, nihil magis indignum est, quàm physicè prædeterminando, vel creaturam suam ad pessimas actiones necessitare, vel libertatem à se conditam violare? Sed ad *Professorem* redeamus. *Non tantum* (inquit) *momenti esset situm in hâc controversiâ, si ipsa intra Philoso-*

losophiæ limites constitisset; sed enim & Theologiæ pomœria intravit, eàm que non leviter infecit. Leo est in viâ, & leæna in itineribus Prov. 26. v. 13. *trepidavit timore, ubi non erat timor*, Psal. 13. v. 5. *Nam*, ait, *qui concursum prævium in naturalibus actionibus primùm sustulerunt Iesuitæ, eundem in supernaturalibus ijdem sublatum iverunt: hinc, circa bonum spirituale faciendum, dictitârunt voluntatem seipsam movere, excitare, applicare, determinare, & motionem Dei præviam excitantem, applicantem, determinantem, non minùs hîc quàm in naturalibus esse otiosam, vanam, inutilem*, id est, qui *prævium* concursum ad bonum spirituale negant, *prævium* concursum ad bonum spirituale negant. Hoc primum est periculum, primáque infectio, *quæ quo abeant, unusquisque videt. Hinc à Iesuitis introducta est ficta libertatis notio in indeterminatâ* ἀδιαφορίᾳ *consistens*. Hoc est,

libertas

pertas non est necessitas, sed activa indiffe-
ntia, prout confitentur omnes non bardi
stupidi. Hæc infectio secunda est. *Hinc*
scientia media. Tertia est hæc infectio cujus
professor haud capax esse videtur. Verùm
ari activam indifferentiam & scientiam me-
diam, & neutram à *Iesuitis* introductam esse;
Anim. & Med. L. 2. fusiùs demonstravimus.
Professor, indifferentiam activam & scienti-
am mediam *Iesuitis* tanquam inventoribus
adscribendo, suam literaturæ antiquioris ig-
norantiam prodit. Hanc quidem scientiam
Disp. XXX. impugnat, & adversùs ipsam
debacchatur, sed argumentis, & ferè verbis
Reverendissimi in *Christo* Patris, *Iohannis*,
Prideaux, Episcopi *Wigornienſis*, qui Lecti-
one secundâ, in vesperiis comitiorum ha-
bitâ *Oxonii*, Julii 12. Anno Dom. 1617.
ex professo contra scientiam mediam disputat. Ad illam Clarisſ. & undiquaquè do-
ctissimi

ciſſimi Præſulis Lectionem, Reſponſum C. 23. L. modò citati, exhibuimus. Quæ circà, triginæ iſtius Diſputationis examen inſtituere, neceſſe non eſt. Quod vero ſpectat ad decreta conditionata, concurſum univerſalem, & actionem Dei tantùm moralem in homine convertendo, non ſunt Theologiæ *infictiones, quæ ceu floſculi pullulant ex negato Dei prævio ac prædeterminante concurſu*; ſed *Heereboordi fictiones*. Nam licèt prævius iſte concurſus rejiciatur, nihilominùs haudquaquàm admittenda eſſe decreta conditionata, Ex *Anim. Med.* L. 2. vel concurſum univerſalem, vel actionem Dei tantùm moralem in homine convertendo, ex ſuprà dictis, abundè conſtat. An *multi* ex ipſis *Reformatis*, *Sheiblerus*, *Jac. Martini*, *Rutgerſius*, *Iacchæus*, &c. Theologiæ periculum minitantur?

HEEREBOORDIUS.

HEEREBOORDUS.

II. Sententia noſtra eſt : Non tantum in ſupernaturalibus, ſed & in naturalibus, cauſæ ſecundæ, tum neceſſariæ, tum liberæ, actionibus, præter concurſum ſimultaneum, admittendus eſt præ ius : *itaque utrumque in concurſu Dei includimus : dicimuſque, Deum concurrere & per modum actionis & per modum principij, attingendo & operationem, & potentiam ſeu principium operandi, ipſius cauſæ ſecundæ in operatione quilibet, naturali vel ſupernaturali: Quam ſententiam antequam ulterius explicem ac probem, congrediendum eſt prius cum Cl. D.* Burgerſdicio, *præceptore omni venerando. Primum, quæ habet* th. 4. c. 1. l. 2. ſuæ Metaph. *quando probat concurſum Dei non recipi in cauſis ſecundis per modum principij aut conditionis actionem earum*

pra-

præcedentis, nos non tangunt; quia probat tan-
tum, concursum Dei non esse in eo collocandu-
solum, ut per modum principij agat, quod ultr-
fatemur, & nos ipsi ultrà requirimus, præt-
hunc influxum in causam aut potius potentiam
agentem, qui est concursus prævius, diciturqu-
nobis concursus per modum principij, adhuc
influxum in ipsam actionem, qui est concursu-
simultaneus & per modum actionis: ne nunc
dicam ipsum alio planè sensu hanc phrasin ca-
pere, concursus per modum principii, *quam*
nos capimus: nam ille existimat istam phrasin
significare, virtutis alicujus novæ in causas se-
cundas ad agendum impressionem, quam nos
superiori disp. *opinionem rejecimus, & rejici-*
mus hanc phrasin si hoc significet: at nobis nihil
significat aliud, quam Deum concurrendo non
novam virtutem producere, sed virtutem in
creaturâ existentem excitare, ut efficaciter agat.
Deinde quæ habet th. 5. seq. *quando probat*

con-

concursum Dei non posse esse simul per modum principij, & per modum actionis, nihil habent difficultatis, & facilè expediuntur. Rogat; quorsum pertinebit illa virtus, quæ datur creaturis per modum principii, an ut per illam virtutem operentur? arguit, inquit, habent virtutem sufficientem ad operandum: ergo illa virtus est supervacua. *Resp. primum supponit concursum prævium per modum principij collatum esse virtutem aliquam novam de novo creaturis aut causis secundis impressam & inditam: at hoc non ita est, ut* disp. superiore est ostensum; *& non ita esse ipsi dicentes* Praedeterminantes *plerique, seu concursus prævij defensores: deinde, quod roget,* quorsum pertinebit, *non* virtus, *ut loquitur, sed* motio prævia, *respondeo, & dico, motionem istam prævium dari, ut operari incipiant causæ secundæ, ut ex non operantibus fiant operantes: creatura enim licet, cum operatur, habeat*

beat sufficientem virtutem ad operandum in
suo ordine & genere causarum, quia tamen ea
causa secunda, non est primum se movens, sed
operatur mota: atqui non potest moveri ab alia
causâ secundâ: ergo à primâ: ergo causa secunda
non est sufficiens, ut se moveat, id est, ut ad
agendum se excitet; sed oportet eam moveri &
excitari prius aliunde: & in eo est concursus
Dei prævius, ut causam secundam moveat;
causa secunda mota operatur per virtutem suf-
ficientem in suo ordine causarum; at nihilo-
minus adhuc eget concursu simultaneo, quia tam
parum est actio independens à Deo quam ipsa
causa agens: itaque hoc argumentum Cl. D.
Burgersdicii: Causa secunda, v. g ignis, ha-
bet virtutem sufficientem ad operandum, ergo
non indiget concursu per modum principij, seu
influxu prævio & determinante: tam militat
contra influxum & concursum simultaneum,
quam contra prævium. Nam si D. Burgersdicio,

dicio, *Creatura dicatur habere virtutem ſufficientem ad operandum, & nihilominus includit influxum Dei in actionem ipſam, ſeu concurſum ſimultaneum, quem ipſe cum alijs ſtatuit hîc tantum, cur minus dicam ego, creaturam habere ſufficientem virtutem ad operandum, licet includat influxum in ipſam cauſam ſeu concurſum prævium? nam ſicuti creatura ſufficienti virtute prædita operari tamen non poteſt ſine concurſu Dei ſimultaneo, ita aſſerente ipſo D.* Burgerſdicio; *ſic dico ego, Eadem creatura, licet inſtructa ſufficienti virtute ad operandum, operari tamen non poteſt ſine concurſu prævio, id eſt, niſi primum mota à Deo, quia creatura non eſt primum ſe movens: &, hoc obſervandum eſt in genere, quoties cauſa ſecunda dicitur habere virtutem ſufficientem aut completam ad operandum, id non dici de eâ, quaſi ſic excludat Dei concurſum, ſive ſimultaneum, ſive prævium, quia is propter dependentiam cauſæ ſecun-*

dæ à primâ excludi non poteſt, adeoque cauſis ſecundis intrinſecus eſt, ac cauſarum ſecundarum naturis, quia ſunt ſecundæ, debitus, ita quidem ijs naturalis, ut ſi cauſa prima non influat ſuo concurſu, cauſa ſecunda operari nullo modo poſſit, ſed miraculum ſit, quod liquet in fornace Babylonis: non igitur excludit concurſum Dei cauſa ſecunda, cum dicitur habere perfectam & completam virtutem operandi; non ſimultaneum, ut D. Burgerſd. *cum omnibus vult, ſed nec prævium, ut nos oſtendimus, verum excludit concurſum cauſarum ſui ordinis, id eſt ſecundarum.*

EXAMEN.

Si creaturæ virtus ad operandum ſufficiens, concurſum *ſimultaneum* non excludat, ut *Burgerſdicius* opinatur; nec *prævium* excludit, ut rectè adverſùs ipſum *Heereboordius* argu-

argumentatur: verùm sufficientia causæ secundæ, concursum *simultaneum*, contrà quàm sentiunt *Præceptor* & *Discipulus*, non admittit. Quemadmodùm materia & forma ignis, ignem citra consortium alterius materiæ, alteriúsque formæ, intrinsecè causant, quia ad ignem intrinsecè causandum sufficiunt: ita & causa efficiens, cùm ad effectum producendum sufficit, alterius efficientis causæ consortium non exposcit. Cùm verò causa efficiens ad effectum producendum haud sufficit, alterius auxilio opus est. Superfluum est, quicquid est præter id quod sufficit. Si dicatur, quòd sufficientia causæ secundæ non excludit consortium causæ alterius ordinis; Respondemus, quòd si sufficientia causæ secundæ efficientis non excludat consortium efficientis causæ alterius ordinis; pari ratione, nec sufficientia materiæ & formæ ad compositum intrinsecè

causandum in genere causæ secundæ, excludit consortium materiæ & formæ alterius ordinis, à compositio intrinsecè causando: sed materia & formæ, (quæ in genere causæ secundæ tam compositum verè causant, quàm efficiens effectum,) sufficientia ad compositum intrinsecè causandum, materiam & formam ullius alterius ordinis ad compositum intrinsecè causandum non admittit; ergò & sufficientia causæ secundæ efficientis ad effectum producendum, causam ullam efficientem alterius ordinis ad effectum producendum non admittit. An causatio, quâ vel materia, vel forma compositum constituit, à materiarum vel formarum pluralitate abhorret; & causatio, quâ efficiens causat effectum, licèt independentiâ non gaudeat magis, quàm causationes illæ, quibus materia & forma compositum causant, efficientiæ solitudinem detestatur?

ſtatur? Hæc cauſæ efficientis cum materiâ & formâ comparatio, quoniam materia non niſi patiendo, compoſitum cauſat, nobis & alterum adverſùs concurſum argumentum ſuggeſſit. *Heereboordus*, aliíque concurſus Patroni, ipſum probare conantur ad hunc modum: Operari ſequitur eſſe; ergò, cùm eſſe ſit immediatè à Deo, Deus immediatè cooperatur creaturis. Sic igitur argumentamur: τὸ pati ſequitur eſſe materiæ non minùs, quàm τὸ operari eſſe cauſæ efficientis; ſed eſſe materiæ eſt immediatè à Deo; ergò Deus immediatè compatitur materiæ. Sed ut ad cauſæ efficientis in genere cauſæ ſecundæ ſufficientiam, quam admittit *Profeſſor*, redeamus; qualis eſt iſta ſufficientia? In hoc ſita eſt, quòd creatura poteſt effectum producere, ſi Deus ipſum per ſuam producat omnipotentiam. Vides, Lector, *Heereboordi* ad riſum movendum *ſufficientiam!*

am! Nè quis verò nos *Professori* injuriam facere existimet; animadvertendum est, tum quòd ex ipsius sententiâ, *concursus* est actio Dei, quâ cum creaturâ effectum producit; tum quòd ex ejusdem quoque sententiâ, virtus sufficiens ad operandum non excludit *concursum*, *quia is propter dependentiam causæ secundæ à primâ excludi non potest*. Hoc est; si Deus per potentiam, quæ semper infinita est, effectum non producat, creatura ipsum producere nequit; sin producat Deus, tum & creatura ipsum potest producere: Hujusmodi *sufficientiam*, *concursus* assertoribus haudquaquàm invidemus. Cùm dicit *Professor*, quòd creatura, *quia est causa secunda, non est primum se movens, sed operatur mota*: & paucis interjectis: *creatura operari non potest sine concursu prævio, id est, nisi primùm mota à Deo, quia creatura non est primum se movens*, mirum in modum hallucinatur. Nam primò,

si

si per *primum se movens*, intelligat id, quod primùm agit; ex eo, quòd creatura non mota agit, quòd creatura est *primum se movens*, non sequitur; quia etiamsi creatura non mota agat, Deum tamen priùs egisse, seu ipsam priùs produxisse nunquam non supponit: sin per *primum se movens*, intelligat id, quod primùm se ad agendum applicat, ex ipsius sententiâ, nullum omninò erit *primum se movens*. Creatura enim, si *Heereboordo* fides adhibeatur, non potest se primùm ad agendum applicare: & Deus ad agendum, se, quia immobilis est, movere, excitare seu applicare nequit, nisi aliquid in Deo, quod Deus non est, comminiscamur; nam motio omnis, excitatio seu applicatio causæ ad agendum, à causâ motâ, excitatâ, seu applicatâ, reipsâ distinguitur. *Illudebat* Elias Prophetis, Baal *dicens*: *Clamate voce majore*: *Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in di-*

versorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. 3. Reg. c. 18. v. 27. Hoc posteriori sensu si ratio *Professoris* accipiatur, Deus ipse, non nisi motus, operabitur. *Creatura*, (inquit) *quia est causa secunda, non est primum se movens, sed operatur mota.* Quo ratiocinio, causam *esse primum se movens*, ipsámque *non motam operari*, æquipollere; & rursùs, *non esse primum se movens*, & *motam operari*, æquipollere, judicat *Professor*. Undè Deum, non nisi motum, operari rectissimè deducitur, quoniam non est *primum se movens*; nam Deum non omninò se movere manifestum est. Secundò, si causa secunda activa, non agat nisi moveatur, id est, nisi patiatur; materia, quæ secunda quoque causa est, non patitur nisi agat. Etenim, passio actionem magis quàm actio passionem prærequirit. Tertiò, Deus dicitur causa *prima*, quia nullam sui causam agnoscit,

rmit, cit, aliarúmque cauſarum cauſa eſt; &
c po- creatura dicitur cauſa *ſecunda*, quia ab aliâ
atur, proficiſcitur, ſed τὸ cauſam proficiſci ab
Cre- aliâ cauſâ, nihil vetat quò minùs cauſa iſta
on eſt citra illius alterius cauſæ *concurſum* vel *prævium*, vel *ſimultaneum*, operari queat. For-
Quo ma hujus ignis abſque *concurſu* ignis, qui
vens, ipſam procreavit, calorem producit. Quar-
lere; tò, Deus dicitur *primùm movens*, creatura
mo- verò *ſecundò movens*; non quia hæc ab illo
ſſor. ad omnes ſuas actiones movetur; ſed quia
ri re- hæc ſuam virtutem movendi mutuatur ab
mum illo, qui aliundè movendi virtutem non re-
mo- cipit; & quia prima motio, ſeu actio, quâ
ſa ſe- ſcilicet ipſæ creaturæ motrices producuntur,
d eſt, ab illo ſolo promanat. Deum verò in cau-
oque ſando & movendo primatum hujuſmodi
nim, obtinere, quid ad *concurſum?* Hic tamen
affio- concurſus, inquit *Heereboordus*, cauſis ſecun-
icitur dis intrinſecus eſt, debitus, *& ita naturalis*,
gno- ſcit, ut

ut si causa prima non influat suo concursu, causa secunda operari nullo modo possit, sed miraculum sit, quod liquet in fornace Babylonis. Benè est. An Deus creaturæ debet quidpiam? an debet ei quidpiam naturaliter? an in fornace Babylonis debitum non persolvit? Deum aliquid creaturæ suæ debere, aliquid ei naturaliter debere, & naturale istud debitum vel semel non persolvere, sunt tria miracula: ignem verò fornacis *Babylonicæ* homines non combussisse, cùm influxus ad comburendum necessarius, denegatus fuit, haudquaquàm miraculum censeri debet. Miraculum fuisset, si influxu ad comburendum necessario denegato, ignis homines combussisset. Sed de certamine *Discipuli* cum *Præceptore* satis.

HEEREBOORDUS.

III. Nunc porrò sententiam & mentem nostram explicabimus, quæ ut intelligatur, sciendum & observandum est, illa duo esse distinctissima : operari cum aliquo, & operari in aliquo, *vel* operari per illud, movere ipsum ad operandum : *primum*, operari cum aliquo, *significat tantum simultatem & concomitantiam concursus : ita, si duo portant eundem lapidem, simultaneo concursu concurrunt, quia quivis operatur cum alio : sic unus equus cum alio simultanèe concurrit, quando simul trahunt plaustrum; alter enim cum altero operatur : at verò secundum*, operari in aliquo, per aliud, *requirit non tantum, ut agens, quod operatur in alio seu per aliud, simultaneè concurrat cum altero, sed ut per concursum suum faciat alterum agere & operari, quia agens tale ope-*

operando movet alterum, & facit, ut illud operetur: sic ex duobus, qui portant lapidem, neuter operatur in altero aut per alterum, aut ex duobus equis trahentibus plaustrum, quia neuter præmovet aut applicat alterum ad agendum. jam verò, hoc est quod dicimus, Deus non concurrit cum causâ secundâ, operando tantum cum eâ, ut duo ferentes eundem lapidem, aut duo equi trahentes idem plaustrum, qui concursus est simultaneus, sed concurrit etiam cum causâ secundâ, aliquid operando in illâ & per illam, quatenus eam movet efficaciter, applicat & determinat ad agendum, qui est concursus prævius & prædeterminans: & sic magis explicatur & solidius, dependentia causæ secundæ à primâ, quæ per concursum simultaneum tantum, non satis salvatur: nam si Deus & causæ secundæ concurrunt, concursu tantum simultaneo, ut duo equi trahentes plaustrum, erunt causæ partiales actionis; & sic unaquæque causa,

prima

prima & ſecunda adhibebit proprium ac peculiarem influxum, quem habet à ſeipſâ, ita ut in influendo non dependeat ex influxu alterius cauſæ tanquam à cauſâ verè efficiente, licet effectus dependeat ab utraque, ſicuti influxus unius equi non dependet ex influxu alterius equi (neuter enim alterum influere facit) licet tractio plauſtri ab utriuſque influxu ſimultaneo dependeat: ſea hoc de Deo & creaturis dicere abſurdum eſt: non enim ſunt cauſæ partiales concurrentes, ſed totales; non independentes à ſe invicem, ſed dependentes: Deus quippe eſt cauſa totalis in ſuo genere; creatura in ſuo genere; hæc ab illo dependens: Deus quidem à nullo dependet, ſed ſecunda cauſa dependet in ſuo influxu à Deo, cui ſubordinatur, ut cauſæ priori, non tantum morali, ſed verè & phyſicè operanti: ergo ad concurſum divinum & dependentiam cauſæ ſecundæ à primâ explicandam, non ſufficit dicere, quod Deus ſimultaneè

cooperetur cum causa secunda, & influat influ-
xu simultaneo, sed requiritur amplius, ut ope-
retur aliquid in eâ, & influat in eam, influxu
prævio eam movendo, &c. Sed verò ostenda-
mus hoc clarissimè. Causa prima & secunda con-
currunt ad actionem causæ secundæ, sed cum
discrimine: Deus non solum est causa illius ac-
tionis, v. c. calefactionis, prout est ab ipso, sed
& per suum concursum causa est ejusdem actio-
nis, prout est à causa secunda, sc. igne: at vero
causa secunda licet sit causa suæ actionis, prout
est ab ipsa, ignis v. c. causa suæ calefactionis pro-
ut est ab ipso igne, non tamen potest esse causa
illius prout est à Deo: ergo plus aliquid est in
concursu causæ primæ quam secundæ: causa
nempe secunda tantum causat suam actionem;
Deus non solum causat istam eandem actionem
causæ secundæ, sed per suum concursum facit
actu, ut causa secunda agat, ut ignis v. c. cale-
factionem producat: quare non operatur simpli-
citer

citer cum igne, & cum qualibet causâ secundâ, concursu simultaneo, aliquid operando cum eâ, sed & concurrit concursu prævio, aliquid operando in eâ, physice eam movendo, applicando, determinando.

EXAMEN.

In hâc explicatione, quæ satis prolixa est, animadvertimus *concursum prævium Heereboordo* placere, *concursum* verò tantùm *simultaneum* displicere, quia *sic magis explicatur & solidiùs, dependentia causæ secundæ à primâ, quæ per concursum simultaneum tantùm, non satis salvatur. Prævium* quidem *concursum*, quàm *simultaneum* tantùm, majorem causæ *secundæ* à *primâ* dependentiam arguere nemo dubitat: eam verò ob causam *concursum prævium* approbare, haud æquum est. Manifestum est, creaturam citra *concursum simultaneum*

simultaneum non posse operari, esse majorem causæ *secundæ* à *primâ* dependentiam, quàm creaturam citra illum operari posse; manifestum itidem est, creaturam absque *concursu prævio* operari non posse, esse majorem causæ *secundæ* à *primâ* dependentiam, quàm creaturam cum *concursu simultaneo*, absque *prævio*, posse operari: cùm itaque *concursus* vel *prævius* vel *simultaneus* in dubium vocatur, non quæritur, utrùm admisso *concursu simultaneo*, sit major dependentia, quàm eo non admisso; nec quæritur, utrùm admisso *concursu prævio*, major sit dependentia, quàm eo excluso, & tantùm *simultaneo* admisso: verùm, quæritur, an causæ *secundæ* in operando ita à *primâ* dependeant, ut citra *concursum* illius, vel *prævium* vel *simultaneum*, operari nequeat. Modus operandi, non quòd majorem involvit dependentiam, eò verior est. Causas *secundas* esse in operando causas

non

non *principales*, ſed *inſtrumentales*; arguit majorem dependentiam à *primâ*, quàm ipſas eſſe cauſas *principales*; nihilominùs cauſas ſecundas eſſe cauſas *principales*, nullus eſt qui dubitat : Et ex Philoſophis non nemo cauſam *ſecundam* nihil omninò agere, ſed *primam* ad præſentiam *ſecundæ* agere, quicquid *ſecunda* agere videtur, olim arbitratus eſt : quam opinionem rejiciunt plerique, etiamſi ſecundùm illam, major ſit operationum & effectuum à cauſâ *primâ* dependentia, quàm ulla dependentia, quam alteruter concurſus implicat: Non quàm magna, ſed quàm vera ſit dependentia, refert. ἀλήθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν ἀρχὴ ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις, id eſt, *Eſt enim veritas omnium bonorum principium, cùm & hominibus*, inquit *Marinus Neopolitanus* de *Proculi* vitâ. Sed, ſi *præcurſus*, ſeu *concurſus prævius, ſimultaneo* ſit præmittendus, ideò quoniam ſi-

multaneo tantùm admisso, non satis salvatur dependentia causæ *secundæ* à *primâ*; admisso verò *prævio*, magis salvatur, magísque explicatur & solidiùs; ut completa sit creaturæ dependentia à Deo, *concursus subsequens* (tam nobis concursum alium, *subsequentem*, quam *Heereboordo* alium, *prævium* appellare liceat, quamvis utraq; phrasis notabili absurditate laboret) seu *postcursus* omninò necessarius videtur. Etenim, si *præcursus* & *postcursus* admittantur, omnis actio creaturæ, præter dependentiam, quam *concursus simultaneus* involvit, à Deo dependebit & *à parte antè* & *à parte pòst*. Vides, *Lector*, integram dependentiam; *præcursum* gratiæ *prævenienti*, accit, *postcursum* gratiæ *subsequenti* respondentem & ineptiarum *Heereboordi* fœcunditatem planè admirabilem. An verò tenore concursus tantùm simultanei, Deus & causæ secundæ sint actionis causæ partiales, vi

derin

derint illius Patroni. Ad argumentum festi-
mus.

HEEREBOORDUS.

IV. Probamus efficacissimè concursum prævium hoc argumento. Quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi per aliquid, quod sit in actu : sed omnis causa secunda est in potentia ad agendum, antequam agat : ergo non potest reduci ad agendum, nisi per aliquid quod sit actu : major patet, quia quod est in potentia calidum, non fit actu calidum, nisi per aliquid quod sit actu calidum, vel formaliter, vel eminenter : minor probatur; quodcunque modo facit, modo non facit, modo facit unum, modo alterum, illud est in potentia ad actionem : sed omnis causa secunda modo agit, modo non, modo agit hoc, modo illud, quod ex inductione patet : ignis enim modo agit, modo non, modo cespitem comburit, modo lignum, & sic in cæteris : jam

multaneo tantùm admisso, non satis salvatur dependentia causæ *secundæ* à *primâ*; admisso verò *prævio*, magis salvatur, magísque explicatur & solidiùs; ut completa sit creaturæ dependentia à Deo, *concursus subsequens* (tam nobis concursum alium, *subsequentem*, quam *Heereboordo* alium, *prævium* appellare liceat, quamvis utraq; phrasis notabili absurditate laboret) seu *postcursus* omninò necessarius videtur. Etenim, si *præcursus* & *postcursus* admittantur, omnis actio creaturæ, præter dependentiam, quam *concursus simultaneus* involvit, à Deo dependebit & *à parte antè* & *à parte pòst*. Vides, *Lector*, integram dependentiam; *præcursum* gratiæ *prævenienti*, *postcursum* gratiæ *subsequenti* respondentem & ineptiarum *Heereboordi* fœcunditatem planè admirabilem. An verò tenore concursus tantùm simultanei, Deus & causæ secundæ sint actionis causæ partiales, vi

deri

derint illius Patroni. Ad argumentum festi-
namus.

HEEREBOORDUS.

IV. Probamus efficacissimè concursum prævium hoc argumento. Quod est in potentia, non potest reduci in actum, nisi per aliquid, quod sit in actu : sed omnis causa secunda est in potentia ad agendum, antequam agat : ergo non potest reduci ad agendum, nisi per aliquid quod sit actu : major patet, quia quod est in potentia calidum, non fit actu calidum, nisi per aliquid quod sit actu calidum, vel formaliter, vel eminenter : minor probatur; quodcunque modo facit, modo non facit, modo facit unum, modo alterum, illud est in potentia ad actionem : sed omnis causa secunda modo agit, modo non, modo agit hoc, modo illud, quod ex inductione patet : ignis enim modo agit, modo non, modo cespitem comburit, modo lignum, & sic in cæteris : jam

sic pergo : Omnis causa secunda debet fieri actu causa & actu agere per aliquid quod sit actu causa: sed hæc causa, quæ est actu causa, per quam creatura debet fieri actu causa, non est ulla secunda aut creata, sed prima, & increata, solus Deus: ergo solus Deus reducit omnem causam secundam de potentia agente ad actu agentem: atqui in eo consistit concursus Dei prævius & prædeterminans, ut Deus faciat actu agere causas secundas, quæ non agunt, sed agere possunt, ut eas ad agendum moveat, excitet, applicet, determinet, quod erat demonstrandum : quod non sit alia causa actu quam Deus, patet, quia omnis causa secunda est causa in potentia: ergo sola causa prima est causa actu : est enim purus actus.

EXAMEN.

Ex quo literis operam navavimus, plurima occurrerunt argumenta ; sed tam infrunitum,

frunitum, tam ridiculum, quàm quod à *Professore* hîc loci proponitur, nusquàm vidimus. Quod quidem est in potentiâ merè passivâ ad actum aliquem, ad actum illum haudquaquàm reducitur, nisi per id, quod actum illum vel formaliter vel eminentialiter continet: cùm enim res, quæ est in potentiâ merè passivâ ad actum, actum conferre nequeat; & cùm nulla alia res dare possit, quod non habet vel actu formali vel eminentiali; res, quæ est in potentiâ merè passivâ ad actum, seu quæ potestate tantùm passivâ talis est, reducitur ad actum, seu fit actu talis, non nisi per id, quod actu vel formali vel eminentiali tale est. V.g. aqua, quæ est in potentiâ merè passivâ ad calorem, non fit actu calida, nisi per id, quod calorem actu, vel formali vel eminentiali, continet. In potentiâ verò activâ longè aliter se res habet, alias admittendus est progressus in infi-

nitum. Etenim, cùm nulla sit actu causa efficiens, quæ aliquandò causa non est, seu cùm agat causa nulla, quæ aliquando non agit; omnis causa efficiens, *est in potentiâ ad actionem*: (ut loquitur *Heereboordus*) si itaque causa efficiens, quæ est in *potentiâ ad actionem*, ideò quia *est in potentiâ ad actionem*, non possit esse actu causa, seu non possit *actu agere* (ut idem loquitur) nisi per aliquid, quod priùs est actu causa, seu quod priùs actu agit; ubinam pedem figemus? Deus ipse aliquando causa est, aliquandò non; aliquandò creat, aliquandò non; atque ideò *est in potentiâ ad actionem*, (ut ipse *Heereboordus* argumentatur:) Num igitur ut Deus sit causa actu creans, necesse est ipsum ad actualem causationem, seu creationem reduci per aliquid, quod actu causa est, aut actu creat? Idcircò autem causa, quæ est in potentiâ activâ ad actum, quatenùs est in activâ istâ potentiâ,

tentiâ, non exigit aliam causam, per quam actu agat, quoniam actus omnis, ad quem potentia activa terminatur, in istâ activâ potentiâ saltem eminentialiter continetur, ut cuiq; vel mediocriter in *Philosophiâ* versato manifestum est. Sed *Heereboordus*, quod proprium est potentiæ passivæ, ad activam admodùm ineptè transferendo, in miras prolabitur absurditates. *Quod* (inquit) *est in potentiâ, non potest reduci in actum, nisi per aliquid, quod sit in actu*: [tali scilicet, ad qualem potentia terminatur] *quia quod est in potentiâ calidum, non fit actu calidum, nisi per aliquid quod sit actu calidum, vel formaliter, vel eminenter: sed omnis causa secunda* [efficiens scilicet] *est in potentiâ* [activâ procul dubiò] *ad agendum, antequam agat: ergò non potest reduci ad agendum, nisi per aliquid quod sit actu.* Si in *majore*, potentia tantùm, quæ passiva est, intelligatur, de ejus veritate non

dubitamus; nihilominùs vitiosa est argumentatio, quia potentia aliter accipitur in *minore* Si verò in *majore*, intelligatur potentia, quæ activa est, non autem passiva; falsa est *major*, ut ex modò dictis constat, & exemplum, quo ipsam probare conatur, non probat. Nam exemplum *non-calidi*, quod calidum fieri potest, sed non nisi per id, quod actu vel formali vel eminentiali calidum est; ostendit tantùm quòd quod est in potentiâ merè passivâ, non reducitur ad actum, nisi per id, quod actu tali vel formaliter vel eminenter præditum est; non verò quòd calidum non potest actu calefacere, nisi per aliquid, quod actu calefacit, seu quod eodèm recidit, quòd causa activa non potest esse actu agens, nisi per aliquid, quod priùs actu agit, quod erat demonstrandum. Quòd si quis dicat quòd omnis potentia activa causæ *secundæ*, est etiam passiva, quatenùs

tenùs reduci poteſt ad agendum actu, atque id ò quatenùs paſſiva eſt, non reducitur ad actu agendum, niſi per aliquid, quod actu agit: Reſpondemus primùm, ſi actus, ad quem activa creaturæ potentia terminatur, ſit *immanens*; potentia, per quam creatura actum edit, & potentia, per quam eundem recipit, eſt una atque eadem potentia; atque ita potentia paſſiva reſpectu actus *immanentis*, ad actum illum reducitur per ſeipſam, ut activa eſt. Sic intellectus, ut recipiens actum intelligendi, ad actum illum, per ſeipſum, ut eſt agens, reducitur. Reſpondemus ſecundò, ſi actus ſit *tranſiens*, ad quem activa creaturæ potentia terminatur, activa illa potentia, reſpectu illius actus haud-quaquàm paſſiva eſt, quoniam actio eſt non in agente, ſed in patiente, ſubjecto, ab agente, diſtincto. Quocircà eadem eſt ratio reductionis potentiæ creatæ de non-agente

ad

ad actu agentem *transeunter*, & potentiæ increatæ de non-agente ad actu agentem *transeunter*, quoniam utraque respectu actus *transeuntis* est merè activa, neutra ullo modo passiva. Ut itaquè potentia increata de non-agente est actu agens *transeunter*, v. g. cùm mundum creavit, non tamen per aliquid, quod priùs actu agit, ad actum *transeuntem* reducitur : ita & potentia creata de non-agente est actu agens *transeunter*, non tamen per aliquid, quod priùs actu agit, ad actum *transeuntem* reducitur. A phrasibus istis : *causam reduci de non-agente ad agentem actu transeunte*, vel *causam fieri de non-agente, agentem actu transeunte*, si per ipsas intelligatur passio aliqua, seu mutatio causæ ita agentis, ut absurdis, quoniam nulla causa agendo *transeunter*, mutatur, planè abhorremus : atque hoc sensu, causam *primam* de non-agente fieri actu agentem, seu à non-

agente

agente ad actu agentem reduci negant omnes; & nos *secundam*, si *principalis* sit, & *transeunter* agat, inficiamur: sin per ipsas, merus *transitus* à non-actione ad actionem citra ullam causæ *transeunter* agentis passionem vel mutationem ir telligatur, quo causa, quæ priùs actu agens non erat, jam actu agens est, potentiæ activæ tam increatæ, quàm creatæ ipsas applicare non veremur; quo sensu eas ad *concursum prævium* stabiliendum nihil omninò facere, nemo non videt. Atque hinc adversùs *concursum prævium* ad creaturæ actiones *transeuntes*, efficaciſſimè argumentari licet. Etenim, *concursus simultaneus* & actio creaturæ *transiens*, est una atque eadem actio, ut ipse *Heereboordus* suprà sæpiùs agnovit; & *concursus prævius* ac *simultaneus*, est unus itid m atque idem influxus, ut idem th. 5. paulò pòst fatetur: ergò creaturæ actio *transiens* & *concursus*

curſus prævius eſt una atque eadem actio cùm itaque creaturæ actio *tranſiens* non ſit in cauſâ *ſecundâ* agente, ſed in patiente, ibidem quoque eſt *concurſus prævius*: ac proindè, Deus cum cauſâ *ſecundâ tranſeunter* agente *concurrendo concurſu prævio*, nihil in illâ operatur, quoniam quicquid operatur concurrendo *concurſu prævio*, in eo ſolo, in quo *prævius* iſte *concurſus* eſt, operatur: atque ita, quod actiones *tranſeuntes* creaturæ ſpectat, *concurſus prævius* funditùs evertitur, nam operari aliquid in cauſâ *ſecundâ* & per illam, eſt *concurſus prævius* ac *prædeterminans*. *Concurrit* (inquit ſuprà th. 3.) *cum cauſâ ſecundâ, aliquid operando in illâ & per illam, quatenùs eam movet efficaciter, applicat & determinat ad agendum, qui eſt concurſus prævius ac prædeterminans.* Num Deus aliquid operando in ligno, ignem ad lignum comburendum phyſicè prædeterminat? Deniquè,

egregi è

gregiè nugatur *Heereboordus*, cùm dicit: *Quòd non ſit alia cauſa actu quàm Deus, quia omnis cauſa ſecunda eſt cauſa in potentiâ: ergò ſola cauſa prima eſt cauſa actu: eſt enim purus actus*: Nam cauſa tam *prima* quàm *ſecunda*, aliquandò actu cauſa eſt, aliquandò actu cauſa non eſt. Homo hominem interdùm generat, interdum non: Deus nunc res producit, nunc ipſas non producit: utraque cauſa igitur eſt in potentiâ ad agendum, antequàm agat; quod puritati actus Divini non repugnat. Deus ante mundum conditum, fuit in potentiâ ad mundum condendum, id eſt, potuit mundum condere. Num Deus ante mundum conditum fuit minùs purus actus, quia mundum condere *potuit? Purus actus* potentiam *paſſivam*, non *activam* eliminat. Hactenùs de *frigido* Profeſſoris argumento, quod ſolitario *non-calidi* exemplo nititur, dictum eſt: ad dubium, quod movet, progredimur.

HEEREBOORDUS

HEEREBOORDUS.

V. Sed hic dubium aliquod removendum est, quod aliquem suspensum tenere queat, Quæ quidpiam, an influxus in causam secundam, qua Deus causam secundam movet, excitat, determinat ad operandum, & influxus in ipsam actionem, quâ operanti causæ secundæ cooperatur Deus, sint duo influxus? *seu* an concursus Dei prævius & simultaneus sint duo concursus? *Resp. quod non: nam est unus idemque influxus re, unus idemque concursus re, sed duo sunt ratione: nam quatenus Deus movet causam secundam, ut agat, dicitur se habere ejus concursum & influxus per modum principij, vocaturque prævius & prædeterminans; quatenus influit in actionem ipsam, dicitur se habere per modum actionis, vocaturque simultaneus & concomitans; unus tamen idemque*

que influxus & concursus, quo influit in causam secundam, eam movendo, & in actionem causæ secundæ, cum causâ secunda cooperando. Sed dicet quis, idem influxus non est prior & posterior seipso: sed influxus Dei in actionem est posterior influxu causæ secundæ in actionem; influxus vero Dei in ipsam causam secundam est prior influxu causæ secundæ in actionem: ergo influxus in ipsam causam secundam & in ejus actionem non est idem influxus: *seu* concursus prævius & simultaneus non est idem concursus. *Resp. ineptum hoc est dicere, quod influxus causæ primæ in actionem causæ secundæ sit posterior influxu causæ secundæ in actionem suam, licet sic loquantur & loqui ferè cogantur adversarij, quia influxus causæ primæ omnibus modis prior est influxu causæ secundæ: nam (quod bene hic est notandum) concursus prævius & simultaneus non est hoc modo concipiendus, quasi Deus, ubi*

causam

causam secundam movit & excitavit ad agendum, subito cesset ab illo influxu, & alio poste influxu in actionem influat & concurrat, se Deus istum influxum, quo movet creaturam a agendum, continuat, cum influit in actionem ipsam, itaque per eundem influxum & concur sum causam secundam movet ad operandum, & simul influit in causæ secundæ operationem: re spectu priore, quatenus movet, ejus influxus di citur concursus prævius, respectu posteriore, qua tenus cooperatur, dicitur concursus simultaneus unus idemque influxus re, nostro tantum conci piendi modo distinctus.

EXAMEN.

Si *concursus simultaneus* & actio causæ *secundæ*, sit una atque eadem actio, ut *Professor* suprà tradidit; & *concursus prævius* ac *simultaneus*, sit unus idèmque *concursus*, ut hîc

loci

loci docet; *concursus prævius* & actio causæ *secundæ* est una atque eadem actio; tum primùm, cùm concursus simultaneus sit verus, physicus & realis in operationem causæ *secundæ* influxus, idem est verus, physicus & realis in seipsum influxus. Secundò, cùm *concursus prævius*, sit etiam verus, physicus & realis influxus, quo causa *secunda* ad operationem suam movetur, excitatur, applicatur & prædeterminatur, causa *secunda* per operationem suam, ad operationem suam verè, physicè & realiter movetur, excitatur, applicatur & prædeterminatur, hoc est, reipsâ idem est & id, per quod causa *secunda* movetur, excitatur, applicatur & prædeterminatur verè, physicè & realiter, & id, ad quod ita movetur, excitatur, applicatur & prædeterminatur. Tertiò, cùm Deus per *concursum prævium*, in causâ *secundâ* operetur aliquid, per quod facit, ut causa *secunda*

agat; cùm complures sint actiones *transeuntes* causæ *secundæ*; cùm deniquè omnis actio *transiens* sit non in causâ agente, sed in subjecto patiente ab agente diverso; si Deus *concursu prævio* concurrat ad illas *transeuntes* actiones, operatur aliquid in causâ agente, operando in subjecto, quod ab illâ causâ distinctum est, seu facit ut illa causa operetur, operando aliquid in re illi causæ diversâ: *concursus* enim *prævius* ad istas *transeuntes* actiones, est, ubi actiones *transeuntes* sunt, quoniam *prævius* est idem reipsâ cum *simultaneo*, & *simultaneus* reipsâ idem est cum actione *transeunte*. Quartò, id, per quod verè, physicè & realiter fit, ut causa *secunda* agit, etiamsi sit reipsâ prius actione causæ *secundæ*, (alias, quomodò causa *secunda* per ipsum verè, physicè & realiter ad actionem reduceretur,) ab istâ actione realiter distinctum non est. Vides

Lector

Lector, absurditates & varias & graves, quas *concursus*, præsertim *prævij*, Patronus admittere cogitur. Certè, *Heereboordus* totum mundum delirare putat, aut tot & tam crassas absurditates mundo tam frequenter venditare non præsumpsisset: hoc tamen ipsi facilè concedimus, quòd scilicet *concursus prævius* & *simultaneus* non realiter distinguuntur, sed quia neuter *concursus* datur, seu quia inter non-entia nulla est realis distinctio. Verùm, frivolis suis *rationis* distinctionibus, suóque concipiendi modo fruatur *Professor*, & pergat.

HEEREBOORDI Disput. ex Philos. select. Disp. 10. de concursu causæ primæ, Thesis 1.

EXposuimus & adstruximus disp. præced. Concursum *causæ primæ ad actiones cau-*

ſæ ſecundæ prævium ; *protulimus argumentum unum atque alterum : Verum quia res eſt maximi momenti & uſus, etiam hanc diſputationem ei dabimus. Inter argumenta pro concurſu prævio poſtremum non eſt, quod deſumitur ab ipſo concurſu ſimultaneo, quem Adverſarij admittunt, qui ipſe prævium infert efficaciſſimè, etiam invitis omnibus adverſæ partis patronis : nam Deus non poteſt concurrere concurſu ſimultaneo ſi non præmoveat creaturam ad agendum, ni quis ſtatuat, aut ipſam creaturam determinare Deum, aut cauſam primam & ſecundam determinari ab aliâ tertiâ, aut eas concurrere fortuito & caſu, quæ omnia cum ſint abſurda, omnino admittenda eſt prædeterminatio & prævia motio illa, in quâ concurſus hic prævius conſtit: quod argumentum, quia urgentiſſimum eſt, imò tanti roboris, ut ipſi* Suarezio diſp. 22 ſect. 4. Metaph. *concurſus prævij hoſti maximo, ſummæ difficultatis eſſe dicatur, paulò latius explicandum.*

E X

EXAMEN.

QUanquam argumentum ad *concursum prævium* demonstrandum, à *simultaneo* desumptum, nobis, qui *simultaneum* prorsùs negamus, nullum faceſſat negotium; quoniam tamen visum est *Professori* ex *concursu simultaneo prævium* concludere; *concursum simultaneum* impræsentiarum supponemus, & quomodò per ipsum demonstretur *prævius*, disquiremus. Sic autem argumentatur: vel causa prima secundam physicè prædeterminat, seu *concursu prævio* concurrit; vel secunda causa primam determinat; vel utraque à tertiâ determinatur; vel denique causa prima & secunda fortuitò & casu concurrunt. Quid ita? *concursum simultaneum* dari, est operationem immediatè esse à Deo & creaturâ, tanquam à princi-

piis efficientibus; nihil autem vetat quò minùs citra prędeterminationem physicam, determinationem primæ per secundam, utriusque determinationem per tertiam, aut concursum fortuitum, operatio immediatè sit à Deo & creaturâ, ut à principiis effectivis. Nam sufficit quòd prima causa velit ut operatio sit immediatè ab ipsâ & causâ secundâ, ut à principiis efficientibus. Si autem operationem à se & à causâ secundâ, tanquam à principiis effectivis immediatè procedere velit, prædeterminatione physicâ, quæ est quidpiam creaturæ inexistens, non opus est. Nam volitio Divina sufficit ad hoc, ut operatio sit immediatè à se solo, ut à principio effectivo, citra aliquid creaturæ inexistens, ut cùm Deus mundum creare voluit; ergò multò magis sufficit ad hoc, ut operatio sit immediatè à se & à causâ secundâ, ut à principiis effectivis. Si verò

operatio

operatio sit immediatè & à Deo & à creaturâ, ut à causis efficientibus, idque quoniam ita vult Deus; Deus non casu aut fortuitò concurrit cum causâ secundâ, nisi Deum pro libertate suâ, (cujus, absque cognitione, exercitium est nullum) cooperari, sit casu aut fortuitò concurrere. Utut igitur argumentum à *concursu simultaneo* desumptum, *Professori* urgentissimum, & *Suaresio* difficillimum videatur; *prævium* tamen non demonstrat.

HEEREBOORDUS.

II Sic argumentamur. *Si Deus non concurrat concursu prævio, determinando antecedenter creaturam ad actum suum, neque potest conjungi in agendo cum creaturâ concursu simultaneo. Sed ex hypothesi Adversariorum Deus, &c. Ergo. Prob. major. Conjunctio in*

operando cum creaturâ non dicit ſolam indiſtantiam aut præſentiam localem cum illâ; multa enim ſunt, quæ habent indiſtantiam ac præſentiam localem cum alio, neque tamen cum illo ſtatim cooperantur; & præterea, Deus propter ſuam immenſitatem intimè præſens eſt rebus omnibus, non tamen cuëfficit omnia, quæ poteſt efficere: ergo conjunctio primæ cauſæ cum ſecundâ in operando plus dicit, quam præſentiam utriuſque; ſcil. dicit præterea, quod per ſe & non caſu conveniant, ad producendum eandem operationem: tunc vero per ſe conveniunt & non concurrunt caſu ad eandem operationem cauſæ duæ, quando vel ambæ alicui ſuperiori cauſæ ſubordinantur, vel ambæ naturâ ſuâ ſunt determinatæ ad operationem illam, ita ut illam non poſſint non producere, vel quia una ex illis determinat operationem alterius, & conſequenter determinat cauſam alteram ad agendum: præter hos enim conveniendi & concurrendi ad pro-

productionem unius ejuſcumque operationis modos, alius excogitari non poteſt, nullus verò ex his modis convenire poteſt cauſæ primæ concurrenti & concurrenti cum cauſâ ſecundâ ad productionem unius ejuſdemque operationis, niſi is, quo dicamus, Cauſam primam ut ſuperiorem determinare ſecundam ut inferiorem : *ergo ſic quoque dicendum eſt, & ſic habemus concurſum prævium : quod verò nullo alio modo Deus dici poſſit convenire aut concurrere cum cauſâ ſecundâ, quam hoc poſtremo modo, nim. determinando, & præmovendo, facile probatur; nam* 1. *falſum eſt, quod utraque, tam prima, quam ſecunda cauſa, ſubordinentur tertiæ cauſæ ſuperiori, cum cauſa prima Deus nullam habeat cauſam ſupra ſe, nec cauſa ſecunda ſubordinetur alli, niſi ipſi Deo.* 2. *falſum eſt, quod utraque cauſa, prima & ſecunda determinentur naturâ ſuâ neceſſario ad operandum, quia, & Deus in omni concurſu ad extra eſt liberrimus; & cauſæ*

multæ

multæ secundæ non agunt ex necessitate naturæ, sed liberè quoque, habentque dominium sui actus. 3. falsum est, quod causa secunda determinet operationem causæ primæ, licet hoc audacter satis & maximo molimine assertum sit à Jesuitis, Fonseca, Bellarmino, libris & locis, superiori disputatione, citatis : *verum non tantum falsa est hæc assertio, sed multorum insuper errorum basis ac causa; quare operæ fuerit pretium eam planè evertere.*

EXAMEN.

Latiori explicatione, quod th. 1. proposuit argumentum *Heereboordus* prorsùs enervat. *Deus* (inquit ibidem) *non potest concurrere concursu simultaneo, si non præmoveat creaturam ad agendum, nisi quis statuat, aut ipsam creaturam determinare Deum, aut causam primam & secundam determinari ab aliâ*

tertiâ,

tiâ, aut eas concurrere fortuitò & casu. Tres posteriores modos, ut absurdos removendo, primum adstruere conatur. Sed hæc argumentatio plenam enumerationem desiderat. Nam præter modos, quibus causam primam & secundam ad operandum convenire concipi possit, ibi recensitos, alium ipse, nempè naturalem ad operandum determinationem, hîc loci proponit. Si autem *concursus simultaneus* admittatur, seu operatio causæ secundæ sit immediatè à causâ primâ & secundâ, ut à principiis efficientibus, Deum, citra modos omnes hîc vel alibi à *Professore* commemoratos, concurrere cum creaturâ *concursu simultaneo*, seu operationem creaturæ esse immediatè tam à Deo, quàm à creaturâ, ut à principiis efficientibus, ídque quoniam statuit Deus, pro suâ libertate, ut operatio & à se & à causâ secundâ, tanquam à principiis efficientibus

entibus immediatè promanet, quàm facile est imaginari?

HEEREBOORDUS.

III. Qui concursum Dei, quem simultaneum agnoscunt solum Adversarij, dicunt indifferentem & universalem, eumque faciunt determinabilem & determinari asserunt à concursu causæ secundæ, illi indigentiam, potentialitatem, & imperfectionem Deo attribuunt, quod Deo est indignum & injurium. Atqui Adversarij, &c. Ergo. Injuriam Deo fieri ex hac sententiâ manifestissimum est: Deus concurrit cum voluntate nostra, ut purus actus, ergo non expectat aliquem concursum voluntatis nostræ, quo ejus indifferentia universalis in agendo determinetur, ut quidem volunt & loquuntur Jesuitæ: ratio consequentiæ est, quia repugnat puro actui, esse determinabilem & determinari

per

per aliud : quod enim determinat, perfectius est determinabili aut eo quod determinatur : at Deo, qui est purissimus actus, nihil est perfectius; imò, quia purissimus est actus, ipse omnia determinat, & à nullo determinatur, ipse omnia actuat, & à nullo actuatur : certè, sicut summa perfectio est, à nullo determinari vel actuari, ita imperfectio quædam, potentialitas, & indigentia est, ab alio determinari & actuari. Sed figmentum hoc concursus Jesuitici, Deo indignum, per modum causæ universalis & indifferentis, quæ à causa particulari secundâ determinetur ac specificetur, latius detegendum est ac refutandum : latet enim hic anguis in herbâ.

EXAMEN.

Concursus simultaneus citra universalitatem, indifferentiam aut determinabilitatem facilè concipi potest : &, concursus universalitas,

versalitas, indifferentia & determinabilitas, Deo indigentiam, potentialitatem aut imperfectionem non affigunt. Etenim, puritas actus Divini tantùm passivam excludit potentiam, quocircà si Deus pro libertate suâ esse tantùm *genericum* producat, seu ad esse tantùm *genericum* liberè concurrat, puritas haudquaquàm periclitatur, nisi Deum per potentiam activam non tantum producere, quantum per ipsam producere potest, puritati actus Divini deroget, quod vel imaginari ridiculum est. Prætereà, etiamsi Deus quoniam est purus actus, determinabilitatem admittat nullam, quid vetat tamen quò minùs actus *ad extra*, cujusmodi est *concursus*, sit *determinabilis?* an quia Deus ipse determinari non potest, ideò quicquid à Deo proficiscitur, determinari nequit? Deus, quoniam est perfectio infinita, determinari recusat; ejus verò actus *ad extra* quoniam

infinita

infinita perfectio non est, à determinabilitate non abhorret. An ideò Deo *indigentia* aliqua adscribenda est, quia ejus aliqua operatio *ad extra* non ita perfecta est, quia adhuc perfici & determinari possit? Si Deus velit ut operatio voluntatis sit immediatè & à se & à voluntate, ut à principiis effectivis, ubinam est expectatio *concursus* voluntatis? cùm verò dicit *Professor*, quòd Deus, *quia purissimus est actus, omnia determinat, & à nullo determinatur, ipse omnia actuat, & à nullo actuatur*, falsa veris subdolè admiscet. Verum quidem est, quòd Deus, quia purissimus actus est, à nullo actuatur aut determinatur : sed falsum est quòd Deus, quia purissimus est actus, omnia actuat & determinat. Aliud est à nullo actuari & determinari, aliud omnia actuare & determinare; summa puritas actus, seu exclusio omnis potentiæ passivæ ad illud sufficit, ad hoc verò

verò nequaquàm. Quis enim nisi plan vecors, argumentaretur ad hunc modu Deus est purissimus actus, seu pati non po test: ergò omnia actuat & determinat? N minor est vecordia sic argumentari : Deu omninò pati non potest; ergò nullus act ejus *ad extra* est actuabilis & determinabilis Frustrà audit veritatis patronus, qui erro res tam crassos ridiculè refutando, ips quàm maximè gratificatur. Sed, *lat* (inquit) *hîc anguis in herbâ.* An sit anguis vel anguilla, dispiciamus.

HEEREBOORDUS.

IV. Sic argumentamur. *Si concursus D indifferens esset & determinaretur à causa s cunda, in genere causæ efficientis (nam de h determinatione quæstio est, non de determin tione in genere causæ materialis aut subjectiva*

vel ut clarius loquar: si Deus exspectat concursum nostræ voluntatis, ut in genere causæ efficientis antecedentem, non solum determinabitur Dei concursus, sed Deus ipse, id est, non solum determinabitur ejus actio, sed ipsemet, qui est causa & principium actionis, Hoc est absurdum. Ergo & illud, ex quo sequitur, sc. concursus universalis & indifferens. Probatur Major, hoc modo. Prioritas inter actiones, respiciendo genus causæ efficientis, respicit ipsas actiones, quatenus formaliter egrediuntur à suis agentibus: actio enim, qua actio est, est formaliter ab agente, & per illam in materiam subjectam agens dicitur agere, ergo prioritas inter actiones formaliter ut actiones, est prioritas quoad illum modum procedendi ab agentibus: si igitur actio prius causæ, puta secundæ, ex sententiâ Adversariorum, est prior actione alterius causæ, puta primæ, in genere causæ efficientis, non tantum

perabitur in ipsam actionem, sed & in causam

à qua procedit, quia non potest operari in actu nem, nisi in quantum ea procedit ab agente, a proinde operabitur determinando in ipsum a gens: Philosophi sanè omnes ordinant eode planè modo & actiones, & agentia, à quibu proveniunt actiones; & in ordine ac gene causæ efficientis, esse unam actionem priorem a terâ, est, unum agens esse prius altero, & cons quenter, unam actionem habere influxum eff cienter in aliam, si sic loqui liceat, est, unum gens habere influxum in aliud: ergo si volu tas nostra suo concursu in genere causæ effi entis ita determinet concursum divinum, ut e concursus exspectet nostrum, voluntas nostra terminabit concursum divinum efficienter, consequens, determinabit ipsam causam, Deu Atqui hoc est, Deo imperfectionem, indigen am, potentialitatem adscribere: quia determ nans est perfectius eo, quod determinatur, antè est dictum.

E X

EXAMEN.

Nos quidem non tantùm *concurſum* indifferentem & determinabilem, verùm etiam *ſimultaneum* omnem planè rejicimus; ſed hujus Diſputationis examen, *concurſum ſimultaneum* ſupponit; & *concurſum* indifferentem & determinabilem, non, prout æquum eſt, a *Profeſſore* vel explicari vel confutari aſſerimus. Non rectè (inquam) explicat *Profeſſor concurſum* indifferentem & determinabilem. Nam, *concurſus* indifferens & determinabilis, ut ipſe ſuprà docuit & paulò pòſt tradit, eſt actus Dei, quo Deus dat *eſſe genericum* actioni, cui creatura dat *eſſe ſpecificum*. Quid igitur ſibi vult *Heereboordus*, cùm quaſi ἰσοδυναμοῦντα tradit hæc: Deum concurrere *concurſu* indifferenti ac determinabili, & Deum expectare concur-

ſum noſtræ voluntatis, ut in genere cauſæ efficientis antecedentem? Num ii, qui *concurſum* indifferentem & determinabilem propugnant, exiſtimant Deum expectare, ut voluntas noſtra priùs actioni ſuæ det eſſe *ſpecificum*, quàm ipſe eidem det eſſe *genericum*? num vel inter ſomniandum cogitari poteſt, eſſe *ſpecificum* actionis produci priùs, quàm eſſe *genericum*? num concipi poteſt, quòd actio, quâ producitur eſſe *ſpecificum*, efficienter influit in actionem, quâ eſſe *genericum* producitur? num denique quiſpiam imaginari poteſt, quòd *concurſus* Dei cum voluntate noſtrâ eſt *ſimultaneus*, & tamen quòd *concurſus* voluntatis noſtræ ipſum in genere cauſæ efficientis præcedit? Hæc de explicatione: argumentum videamus. Eſt autem argumentum hujuſmodi: Si concurſus Dei ſit indifferens & determinetur, Deus ipſe determinabitur

nam

nam, cùm prioritas inter actiones, reſpiciendo genus cauſæ efficientis, reſpiciat ipſas actiones, quatenùs formaliter egrediuntur à ſuis agentibus, ſi actio unius cauſæ, putà ſecundæ, eſt prior actione alterius cauſæ, putà primæ, in genere cauſæ efficientis, non tantùm operabitur in ipſam actionem, ſed & in cauſam, à quâ procedit, quia non poteſt operari in actionem, niſi in quantum ea procedit ab agente; ac proindè operabitur determinando in ipſum agens. Veluti inſanus, diſputat hîc loci *Profeſſor*. Nam primùm, ſupponit, *concurſu ſimultaneo* indifferenti & determinabili admiſſo, duas eſſe actiones, alteram primæ cauſæ, alteram ſecundæ, atque hanc eſſe illius cauſam efficientem, ac proinde illam præcedere: ſed vel *concurſum* cauſæ ſecundæ, eſſe cauſam efficientem *concurſus* cauſæ primæ, vel ullam actionem eſſe efficientem alterius actionis

causam, vel denique *concursum* causæ secundæ *præcedere simultaneum* primæ causæ ad actionem secundæ concursum, imaginari ridiculum est. Secundò, existimat *Heereboordus* quòd tenore *concursus* indifferentis & determinabilis actio secundæ causæ prior est actione primæ; contrarium tamen ex concursu indifferenti & determinabili manifestò sequitur, si illius tenore, uti vult *Professor*, *concursus* iste sit actio determinata, & actio causæ secundæ sit actio actionem istam determinans; quoniam ordine naturæ prius est, esse actionem, quæ determinari possit, quàm esse actionem, quæ determinet. Tertiò, cùm dicit *Professor* quòd actio causæ secundæ non operatur in actionem primæ, nisi in ipsam causam primam operetur, quoniam non potest operari in actionem, nisi in quantum ea procedit ab agente, nugatur, non argumentatur. Nam *concur-*

sum

sum causæ primæ determinari à causâ secundâ, non est vel operationem causæ secundæ operari in operationem primæ, vel causam secundam in primam operari, sed causam primam *concursu* suo producere *esse generi-cum*, quod, ut *esse specificum* à causâ secundâ productum, contrahit, limitat ac determinat. Ex eo verò, quòd aliquid à Deo per *concursum*, productum, determinatur per aliquid à causâ secundâ productum, Deum ipsum à causâ secundâ determinari, quis sobrius inferret? Quartò, etiamsi concederemus actionem causæ secundæ operari in actionem causæ primæ, non indè tamen concludi potest ipsam operari in causam primam. Etenim, *concursus* omnis Divinus est actio *ad extra*, ac proindè non est in Deo, sed in subjecto diverso: quocircà non necesse est, ut, cùm *concursus* ille patitur, seu determinatur ab actione causæ secundæ,

Deus ipſe, in quo *concurſus* iſte non eſt, ab actione cauſæ ſecundæ patiatur, ſeu determinetur. Actio quidem ab agente proficiſcitur, ſeu, ut loqui mavult *Profeſſor, formaliter egreditur ab agente*, & ab eâ, agens denominatur agens; non tamen quicquid actioni exiſtenti in ſubjecto cauſæ agenti diverſo contingit, ipſi quoque cauſæ agenti contingit, niſi inter cauſam agentem, & ejus actionem tranſeuntem, ſympathiam quandam *Heereboordianam* intercedere comminiſcamur.

HEEREBOORDUS.

V. Præterea, concurſum Dei indifferentem & à cauſâ ſecundâ determinabilem, quo pe modum cauſæ univerſalis concurrit, ita expl ſant ejus patroni, ut Deus concurrat tantum a eſſe genericum actionis, cauſa ſecunda det e ſpecificu

ſpecificum actioni, ad quam ambæ concurrunt:
quod ſi verum eſt, Deus minus in ſe concur-
rendo, quam cauſa ſecunda, & aliqua entitas
eximetur efficientiæ divinæ: at Deus non magis,
ſi non magis, influit concurrendo in actionem
cauſæ ſecundæ, quam ipſa cauſa ſecunda, nec ulla
entitas efficientiæ divinæ eximi poteſt. Et ſi hic
concurrendi modus in Deo, per modum cauſæ
tantum univerſalis & indifferentis, quæ deter-
minetur & ſpecificetur à cauſa ſecunda, applice-
tur operationibus ſupernaturalibus, ut ſpecifica-
tio bonarum actionum ſit à ſolâ cauſâ ſecundâ,
quæ primam determinat ac ſpecificat, jam in a-
perto eſt, quantum derogetur gratiæ divinæ, &
tribuatur arbitrij liberi & voluntatis humanæ
viribus in operando: ſed id parum curant Ad-
verſarij: verum ne in naturalibus quidem id
mihi placet, quod Deus dicatur ad actiones crea-
turarum concurrere, ut cauſa univerſalis, modo
jam explicato, quamvis ita ſenſerit & loquutus
ſit

sit inter alios Cl. D. Burgersd. l. 2. Metaph. c. 11. th. 7. *Verum liceat id pace Venerandi olim Præceptoris, & salvâ reverentiâ pijs Manibus debita, dicere: non istâ ἀκριβείᾳ in concursu explicando versatus est* Vir Cl. *quam quidem adhibuit in alijs Philosophiæ capitibus explicandis: cogitationes secundæ, si per vitam licuisset, haud dubiè aliquid elaboratius hic nobis aedidissent.*

EXAMEN.

Deum concurrere ad actionem creaturæ *concursu* indifferenti ac determinabili, est Deum efficere esse *genericum* actionis, cujus esse *specificum* (quod, quàm esse *genericum*, quatenùs ab ipso distinguitur, manifestò majus est,) à creaturâ, non à Deo efficitur: ita ut istum concursum rejicere ideò quia ipsius tenore *Deus minùs influeret concurrendo, quàm causa secunda, & aliqua entitas ex-*

imeretur

imeretur efficientiæ divinæ, idem sit, ac *concursum* indifferentem ac determinabilem confutare ad hunc modum: *concursus* indifferens ac determinabilis non datur, quia non datur. Si quidem Deus ideò producat esse tantùm *genericum* actionis, quia ejus esse *specificum* producere non valet, de imperfectione divinâ haud quaquam dubitaretur; si verò ideò producat esse tantùm *genericum* actionis, quia esse tantùm *genericum* producere, & productionem τὸ esse *specifici*, creaturæ delegare, ipsi visum est, (ut patroni *concursus* indifferentis ac determinabilis haud dubiè arbitrantur) dignitati primæ causæ nequicquam derogatur. *Professoris* sollicitudinem de actionibus supernaturalibus laudamus; verùm nobis ignoscat, si quomodò *concursus* indifferens & determinabilis ad istis, nimium, vel gratiæ divinæ detrahat, vel liberi arbitrii & voluntatis humanæ

humanæ viribus tribuat, non videamus. Etenim, actionis supernaturalis bonitatem tantùm *genericam* si Deo immediatè producere, creaturæ verò, productionem immediatam, sed per principium à se infusum, bonitatis *specificæ*, demandare placeat; nec gratiæ Divinæ derogatur, nec viribus naturæ nimium tribuitur; nisi vel liberalitati Divinæ, quâ creaturæ suæ, productionem immediatam, sed per gratiam suam, bonitatis *specificæ*, demandat, invideamus; vel Deum pro libertate suâ bonitatem tantùm *genericam*, suæ immediatæ efficientiæ reservare, iniquo feramus animo.

HEEREBOORDUS.

VI. Specialem ac particularem Dei concursum rejicit loc. cit. D. Burgersd. *propter denominationes actionum, à quibus denominantur causa*

causæ secundæ, non prima : quo argumento & alij sunt usi. Ex. gr. *Homo dicitur ambulare, non Deus, ignis urere, non Deus : licet Deus non minus conferat ad ambulandum vel urendum, quam homo vel ignis: ratio est, inquit cum alijs, quia Deus est causa universalis, & sunt ejus verba,* Causæ universalis indifferenter se habet, eademque virtute concurrit ad omnes creaturarum actiones ; ideoque specificatio actionum, non Deo, qui est causa universalis actionum naturalium, sed ipsis creaturis adscribenda est, ideoque quod homo se moveat, Deo debetur : sed quod motus iste sit ambulatio, homini tribuendum : ideoque non Deus, sed homo dicitur ambulare. *Hic quidem est discursus D.* Burgersd. *istoc loco, in quo, ut liberè eloquar, non pauca desidero.*

EXA-

EXAMEN.

Si ſpecialis ac particularis *concurſus* admittatur, ab actione, ad quam *concurſus* eſt, tam prima cauſa, quàm ſecunda denominabitur. Cùm enim actio ſui cauſam, non quatenùs eſt in ipſâ, ſed quatenùs ab ipſâ eſt, denominet; cúmque ſecundùm *concurſum* ſpecialem ac particularem, actio ſit immediatè atque efficienter tam à Deo, quàm à creaturâ; tam Deus, quàm creatura ab actione denominabitur. Si verò nullus detur *concurſus*, vel non niſi *univerſalis* admittatur, ratio *non-denominationis* primæ cauſæ aperta eſt. Nam, ſi actio, v. g. ambulatio, à Deo efficienter non procedat, cur Deus ambulare dicetur? aut ſi Deus *concurſu* ſuo *univerſali* eſſe tantùm *genericum* ambulationis producat, cur ab ejus eſſe *ſpecifico*, ab ipſo non

non producto, per quod motus fit ambulatio, denominatio ambulationis ipsi adscriberetur? Quocircà, etiamsi *concursus specialis* ac *particularis* meritò rejiciatur, cò quòd ab actionibus, à quibus causæ secundæ denominantur, prima non denominatur; non idcò tamen adstruendus est *concursus universalis*; quia ratio *non-denominationis* primæ causæ non minùs ab ejus *non-concursu*, quàm ab ejus *concursu* tantùm *universali*, deduci potest. Sed de ratione *non denominationis* causæ primæ, in examine Disputationis proximè sequutura paulò fusius disseretur; Intereà, quomodò *Professor* suum oppugnat Præceptorem, observabimus.

HEEREBOORDUS.

VII. Dicit, quod homo se moveat, Deo deberi, sed quod ambulet, homini, quia

Deus

EXAMEN.

Si ſpecialis ac particularis *concurſus* admittatur, ab actione, ad quam *concurſus* eſt, tam prima cauſa, quàm ſecunda denominabitur. Cum enim actio ſui cauſam, non quatenùs eſt in ipſâ, ſed quatenùs ab ipſâ eſt, denominet; cúmque ſecundùm *concurſum* ſpecialem ac particularem, actio ſit immediatè atque efficienter tam à Deo, quàm à creaturâ; tam Deus, quàm creatura ab actione denominabitur. Si verò nullus detur *concurſus*, vel non niſi *univerſalis* admittatur, ratio *non-denominationis* primæ cauſæ aperta eſt. Nam, ſi actio, v. g. ambulatio, à Deo efficienter non procedat, cur Deus ambulare dicereture? aut ſi Deus *concurſu* ſuo *univerſali* eſſe tantùm *genericum* ambulationis producat, cur ab ejus eſſe *ſpecifico*, ab ipſo

non

non producto, per quod motus fit ambulatio, denominatio ambulationis ipsi adscriberetur? Quocircà, etiamsi *concursus specialis* ac *particularis* meritò rejiciatur, cò quòd ab actionibus, à quibus causæ secundæ denominantur, prima non denominatur; non idcò tamen adstruendus est *concursus universalis*; quia ratio *non-denominationis* primæ causæ non minùs ab ejus *non-concursu*, quàm ab ejus *concursu* tantùm *universali*, deduci potest. Sed de ratione *non denominationis* causæ primæ, in examine Disputationis proximè sequuturæ paulò fusius disseretur; Intereà, quomodò *Professor* suum oppugnat Præceptorem, observabimus.

HEEREBOORDUS.

VII. Dicit, quod homo se moveat, Deo deberi, sed quod ambulet, homini, quia Deus

Deus sit causa universalis, homo particularis in concurrendo. *Ergo, inquam ego, Deus tantum concurrit ad esse genericum istius actionis in quantum est motus, non ad esse specificum in quantum est ambulatio, multo minus ad esse individuale, in quantum est ambulatio talis : at vero hoc est contra rectam rationem : nam sic tò esse specificum, ne nunc loquar de individuali, eximeretur in hoc motu & quovis alio, efficientiæ & concursui divino.* Sic argumentor contrà. *Si efficientia & concursus divinus requiritur ad id omne producendum quod habet aliquam entitatem physicam & veram, ergo etiam efficientia & concursus divinus requiritur ad specificationem actionum, quia specificatio actionum est entitas vera & physica, imò à specificâ ista entitate actiones omnesque res in suas species & classes entium dispescuntur : quare, qui dicit, Deum tantum concurrere ad actionis esse genericum, in quantum est motus, non vero ad specificum,*

cificum, in quantum est ambulatio, cursus, &c.
is potissimam rerum entitatem & physicam realitatem, efficientiæ, influxui, concursui divino adimit: adhæc, *plus conferet creatura, quæ speciem largitur suæ actioni, quam Deus, qui genericè, & indifferenter, & universaliter concurrit, tam ad unam unius causæ secundæ actionem, quam ad aliam alterius.* *Sed* porro, *ego quidem non video aut percipio, quomodo id dici possit, quod Deus ut causa universalis concurrat ad actionem in genere quatenus est motus, non concurrat idem ad actionem in specie quatenus est ambulatio, cum nemo possit concurrere ad esse genericum rei, nisi idem concurrat ad esse specificum & individuale; quia τὸ esse generi-um continetur & est in τῷ esse specifico, & u-rumq; includitur in τῷ esse individuali. Motus in genere non existit, nisi in quantum est ambulatio, cursus, aut similis actio in specie: quomodo ergo potest quis concurrere ad motum*

in genere, qui non concurrat idem ad actionem in ſpecie, cum motus in genere produci nequeat niſi producendo actionem talem in ſpecie? Poſtremo, *ſi non detur concurſus ſingularis, influxus particularis Dei, qui terminetur ad particularem in ſpecie & ſingularem in individuo actionem atque effectum, ne univerſalis ille quidem Adverſariorum concurſus ſtare poteſt quod ad oculum demonſtrabo.*

EXAMEN.

Ex argumentis, quæ *Heereboordus* hîc loc proponit, de primo atque ſecundo, ad t quintam dictum eſt; de quarto poſteà; tertio nunc temporis diſſeremus. Tertium autem argumentum hujuſmodi eſt: nem poteſt concurrere ad eſſe *genericum*, niſi jam ad eſſe *ſpecificum* atque *individuale* co currat, quoniam eſſe *genericum* in τῷ ε ſpecifi

ſpecifico, & eſſe *ſpecificum* in τῷ eſſe *individuali* continetur & eſt. Verùm, contineri atque eſſe in re productâ, non impediunt, quò minùs res producta, & ea, quę in ipſâ continentur & ſunt, varias exigant productiones. V. g. materia atque anima rationalis continentur & ſunt in homine, nihilominùs creatur materia, vulgò creditur quòd anima rationalis creando infunditur, ac infundendo creatur, & homo generatur, quæ ſunt productiones maximè diſtinctæ : Ad eundem modum, etiamſi eſſe *genericum* contineatur & ſit in τῷ eſſe *ſpecifico*, & hoc in τῷ eſſe *individuali*; non tamen indè ſequitur iſta omnia produci unâ atque eâdem operatione. Si verò *Profeſſor* ſic argumentatus fuiſſet : Actio, ut eſt rei ſingularis hîc & nunc exiſtentis, ita ad eſſe *ſingulare*, ſeu *individuale* terminatur; à quo eſſe *genericum* atque eſſe *ſpecificum* reipſâ non differunt, ſed ſolis

conceptibus distinguuntur ; ergò unius ac
que ejusdem rei esse *genericum*, esse *specificum*
& esse *individuale* non nisi eâdem actione
producuntur ; validè *concursum universalem*
eliminâsset.

HEEREBOORDUS.

VIII. Quoties homo generat hominem, Philippus v. c. Alexandrum, qua ratione quis non indiget concursu Dei ad procreandum hunc hominem, eadem ratione neque indigebit concursu Dei ad procreandum vel hominem vel animal: nam qua virtute quis procreat Alexandrum, eadem per omnia virtute procreat & hominem & animal: proinde, si non egeat concursu particulari, influxu speciali, ad procreandum Alexandrum, nec egebit concursu universali, influxu indifferente, ad procreandum hominem vel animal : similiter, si homo non indigeat concur-

rticulari ad hanc ſpeciem actionis, ambulatio-
m, neque univerſali concurſu indigebit ad
oductionem motus in genere. Quemadmodum
aque homo producens hominem, & hunc ho-
inem, producit in individuo, & hominem in
ecie, & animal in genere, & vivens, & corpus,
ſic porro, eundo per omnes entitatis gradus,
& Deus concurrendo ad quamlibet actionem
uſa ſecundæ producit actionem, & qua eſt ens,
qua eſt motus, & qua eſt ambulatio in ſpecie,
qua eſt hæc ambulatio in individuo, manendo
per in genere naturæ; & ſic utraque cauſa
ima & ſecunda ratione modi agendi eſt
rticularis, *quia utraque hoc modo agit, ut*
ba omnem gradum entitatis in actione & effe-
concurrendo attingant: ratione vero ob-
i poteſt ſpeciali denominatione cauſa prima
univerſalis, *quia ad omnia objecta, effecta,*
ones; ſecunda particularis, *quia ad certa*
ecta, effecta, actiones, operando concurrit.

EXAMEN.

Si de necessitate quæstio instituatur, *concursus* procul omni dubio magis necessarius est ad esse *specificum*, quàm ad esse *genericum*, quoniam esse *specificum*, quatenùs ab esse *generico* distinguitur, ipso majus est & potius: quocircà, si creatura citra *concursum* Dei, ad esse *specificum* producendum sufficiat, multò magis citra *concursum* Dei, ad esse *genericum* producendum sufficit. *Concursum* itaque tantùm *universalem* planè rejicimus, non solùm quia impossibilis est, (ut ex suprà dictis constat) sed etiam quia, suppositâ ipsius possibilitate, superfluus est, nisi ratio idonea excogitari possit, ob quam Deus productionem τῦ esse *generici* sibi reservaret; productionem verò τῦ esse *specifici*, quod præstantius est, creaturæ demandaret.

HEEREBOORDI

Disput. ex Philos. select. Disp. 11. de concursu causæ primæ, Thesis 1.

OStendimus *Disputationibus nunc aliquot*, dari Concursum *Dei ad operationes omnes causarum secundarum, eumque non* simultaneum *tantum sed &* prævium, *atque illum non universalem sed* particularem, *non determinabilem sed* determinantem, *adeo ut actio causæ secundæ qualibet dependeat à Deo non tantum quoad esse genericum, sed & quoad esse specificum, & quoad esse individuale, manendo in genere naturæ: atque ita defuncti videmur isto labore, ut ex ijs, quæ disputavimus, facile sit adversæ partis argumenta solvere; verum enimverò quia in quibusdam raticinibus valde triumphant, quas pleno semper ore crepant Adversarij, ac quibus calumnias impingant huic*

noſtræ ſententiæ, eas, quibus hoc tentant, omiſſis cæteris, jam nunc refutabimus, contra morem noſtrum: quia ſolâ κατασκευῇ contenti in diſputationibus conficiendis, ἀνασκευὴν ipſi conflictui ſolemnus reſervare.

EXAMEN.

PRofeſſorem ea omnia, quæ ſe oſtendiſſe gloriatur, oſtendiſſe haud dubitamus; ſed iis tantùm, qui partibus addicti, præjudicio occupantur. Verùm, penes *Lectorem* à ſtudio partium alienum & à præjudicio liberum, judicium eſto. Si ita labore defunctus ſit, ut ex iis, quæ hactenùs diſputavit, facile ſit adverſæ partis argumenta ſolvere, eorum confutatione reportabit

Salmacida ſpolia ſine ſanguine & ſudore.

HEEREBOORDUS.

II. § 1. Si Deus non ut causa universalis sed ut particularis concursu particulari concurrit ad specificationem actionis, ergo Deus dicetur ambulare, urere, &c. Sed hoc est absurdum. Ergo & illud. *Resp.* 1. *non sequitur, ex concursu particulari causæ primæ ad actionem in specie ipsam statim causam primam particulariter concurrentem inde denominari: ratio est, quia ambulare, verbi causâ, non est tantum efficere ambulationem, sed etiam informari ambulatione: & hinc est, quod* τὸ ambulare *denominet hominem, non Deum; quia Deus istius informationis capax non est: hoc enim præsupponeret potentiam passivam, quæ Deo non convenit: pari modo,* urere, *non tantum est efficere ustionem, sed & istâ ustione informari, quod causa tantum secundæ convenit*

&

& soli convenire potest. ita fatetur Suarez, *nobis hic cum cæteris omnibus adversarius*, l. 2. de concursu Dei cum voluntate humana, c. 17 n. 8. *quod τὸ* amare *non sit tantum efficere amorem, sed & informari amore, quod convenit voluntati eliciendi amorem, non Deo cum illâ concurrenti : hinc licet Deus cum voluntate efficiat amorem, non tamen dicitur amare hoc amore ut quidem dicitur voluntas.* 2. *Effectus & actio denominat causam illam, à cujus influxu determinato & tantum fluit, sic ut illa causa alias actiones & effectus extra hoc genus effectuum & actionum non producat, non verò illam causam, à cujus influxu, quoad objectum indeterminato, aliæ actiones quoque & effecta profluunt : ita ignis dicitur urere, quia influxus ignis ad ustionem, non ad ambulationem, non ad locutionem, &c. terminatur : contra homo dicitur loqui, animal ambulare, non urere, quia neutrius influxus ad ustionem terminatur : at*

Dei

Dei influxus ad omnia objecta & quævis effecta & actiones terminatur; ideoque Deus influendo à nullo objecto, effecto, actione certâ denominari potest.

EXAMEN.

Actio causam agentem denominat, non quatenùs in ipsâ, sed quatenùs ab ipsâ est; tum quia actio, quatenùs est in re aliquâ, est passio, atque idcò illam, prout in illâ est, agentem non denominat; tum quia actio *transiens* causam agentem denominat, non quatenùs in ipsâ est, quia in ipsâ non est; sed quoniam ab ipsâ est. Quocircà, si ambulare, urere, amare, ratiocinari, &c. sint quoad sua esse *generica, specifica* & *individualia*, immediatè à Deo, ut à causâ efficiente, non minùs, quàm à creaturâ, non minùs Deum, quàm creaturam denominant, nam creaturam denominant, quatenùs sunt ab ipsâ

ipsâ immediatè, ut à causâ efficiente. *Professoris* ad hoc argumentum, duplex est responsum: prius est, quòd agere non est tantùm actionem efficere, sed etiam ipsâ informari; cùm itaquè Deus informationis capax non sit, eò quòd capacitas informationis, potentiam passivam, quæ non convenit Deo, præsupponit, Deus non ambulat, urit, ratiocinatur, &c. etsi istarum actionum, ut & omnium aliarum sit causa efficiens aeque immediata. Contrà, si per τὸ *actione informari*, intelligat *causam ab actione agentem denominari*, tum hujusmodi est responsum: Ut causa agat, non sufficit, quòd ipsam efficit, sed insuper requiritur, ut ipsâ actione informetur, id est, ut ab actione agens denominetur, quod ridiculum est: & actione informari hoc sensu, potentiam passivam non præsupponit, nam Deus, qui purus est actus, à creatione, quæ est actio, denomi-

natur

natur creans, seu agens. Si verò per τὸ *actione informari*, intelligat *causam ab actione, tanquam formâ sibi inhærente, informari*, tum nulla causa ab actionibus *transeuntibus* denominatur agens, quoniam nulla actio *transiens*, causæ ineſt agenti; atque ita, Deus nec creat nec concurrit, quoniam creatio & concurſus ſunt actiones *tranſeuntes*, ac proindè Deo neutiquàm inexiſtentes. Denique, Deus vel non informatus actionibus creandi & concurrendi, creat & concurrit, vel iſtis informatus actionibus, creat & concurrit; ſi non informatus, tum causa ab actione denominatur agens, etiamſi actione non informetur: ſi informatus, tum ſciſcitari licet, quomodò actiones extra Deum exiſtentes, ipſum informare poſſunt; &, ſi creatio atque concurſus Deum informare queant, cur non & omnes aliæ actiones *tranſeuntes*, putà, uſtio, ambulatio, ratiocinatio &c.

&c. Deum informant, & ipsum informando denominant? Posterius *Heereboordi* responsum quod spectat, si ægrotus quispiam curæ meæ commissus atque de re quavis interrogatus, ita responderet, de ejus delirio minimè dubitarem; summa enim responsi hæc est: Deus est causa omnium actionum, ergò à nullâ certâ actione denominatur; creatura verò, certarum tantùm actionum causa est, atque ideò ab ipsis denominatur: quasi, quò plures sunt actiones causæ, eò minùs, & quò pauciores, eò magis ab ipsis causa denominetur; atque hæc actio, quæ, si sola à causâ promanaret, causam denominaret, vi suam denominandi causam destitueretur, eò quòd aliæ actiones ab eâdem proficiscuntur causâ. Actiones causam suam denominant, quatenùs ab ipsâ sunt, non quatenùs sunt pauciores; &, si *pluralitatis* ratio habeatur, magis æquum est,

ut

ut causa omnium actionum, ab omnibus actionibus, quàm ut à nullâ denominetur. Sed hanc *Professoris* sequelam admittamus: *Dei* scilicet *influxus ad omnia objecta & quævis effecta & actiones terminatur; ideóque Deus influendo à nullo objecto, effecto, actione certâ denominari potest.* Hâc sequelâ admissâ, primùm, Deus non est creator cœli ac terræ, quia est omnium creator: secundò, Deus nè creator quidem appellandus est, quoniam creatio, à quâ creator dicitur creator, est actio certa: Tertiò, Deus non *concurrit* cum causis secundis, denominatio enim concurrentis est à *concursu*, à quo Deus denominari non potest, quia *concursus* est certa actio: Quartò, *concursus* & actio creaturæ sunt reipsâ una atque eadem actio, uti ipse *Heereboordus* quàm sæpissimè fatetur, ergò, si Deus concurrat, (ut vult *Professor*) à *concursu* denominatur concurrens, ac proindè

ab

ab actione creaturæ, quæ certa est actio, denominatur. Monstrosam hanc argumentationem *Heereboordus* igne illustrat. *Ignis* (inquit) *dicitur urere, quia influxus ignis ad ustionem, non ad ambulationem, non ad locutionem*, &c. *terminatur*. Quibus verbis innuit, quòd si influxus ignis ad ustionem, terminaretur ad ambulationem, locutionem &c. ignis non diceretur urere; quódque ideò ignis urere dicitur, quia ejus ad ustionem influxus, ad ambulationem, locutionem, &c. non terminatur; nam Dei influxus ad ustionem, ignis in eandem influxu minor non est, Deus tamen non dicitur urere; unde unicam rationem, ob quam ignis urere dicitur, esse, quòd ignis ad ustionem influxus, non terminatur ad ambulationem, locutionem, &c. constat. Verùm, planè impossibile est, ut influxus Dei vel creaturæ in unam actionem, in aliam terminetur; quarè

quarè si ignis urere dicatur, quia ejus ad ustionem influxus, ad ambulationem, locutionem, &c. non terminatur, pari ratione & Deus urere dicitur, quoniam ejus ad ustionem influxus, ad ambulationem, locutionem, &c. non solùm non terminatur, sed nec terminari potest; cùm enim influxus Dei in ustionem, seu ejus *concursus* cum igne ad urendum, ab ustione reipsâ non differat, quomodò possibile est, ut ad aliam actionem terminetur? eandémque esse rationem cujusque influxus ad quamlibet aliam actionem, quis non videt? Ignis ille certè, qui non aliâ ratione urere dicitur, quàm quia non ambulat, non loquitur, &c. aut quia ejus ad ustionem influxus, ad ambulationem, locutionem, &c. ad quarum nullam terminari potest, non terminatur, est ignis fatuus; à quo ad hominis loquelam & animalis ambulationem progredimur. *Contra*

(inquit) *homo dicitur loqui, animal ambulare, non urere, quia neutrius influxus ad ustionem terminatur.* Magnas quidem gratias *Professori* debemus, cò quòd, cur homo & animal non urunt, nobis egregiè explicavit; sed ut hæc hominis loquentis & animalis ambulantis exempla, cujus quadrent instituto, homo dicendus est loqui & animal ambulare, quia non urunt. *Professoris* enim institutum est ostendere, quòd locutio & ambulatio, licèt non minùs à Deo, quàm ab homine & animali proficiscantur, non Deum, sed hominem & animal denominant, quoniam *causæ illæ*, nempe homo & animal, *alias actiones & effectus extra hoc genus effectuum & actionum non producunt.* Atque ita, ignis urit, quia nec ambulat nec loquitur; & homo loquitur ac animal ambulat, quia homo & animal non urunt. Nonnè veriùs dicitur quòd *Heereboordus* nugatur, quia non disputat Philosophicè?

HEERE-

HEEREBOORDUS.

III. Sig 2. Deus concurrat concurſu, non univerſali, ſed particulari, ad omnes cauſarum ſecundarum actiones, erit cauſa particularis etiam earum actionum, quæ cum lege Dei pugnant: Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo &c. *Ego verò nego hoc eſſe abſurdum. Probant*, quia ſic Deus erit author peccati: qui enim eſt cauſa particularis iſtarum actionum, quæ cum malitia ſunt conjunctæ, quas malitia ſequitur ac concomitatur, is eſt author peccati: atqui Deus, ex noſtra ſententia, eſt cauſa particularis &c. Ergo &c. *Reſp. Majorem non ſequi, & eſſe ambiguitatem in hoc termino*, cauſa particularis, *& in iſtâ phraſi, cum dicitur*; malitia ſequi aut comitari actiones. 1. Cauſa particularis *dicitur*, aut, *quatenus in actione mala ſive peccato*

entitatem ſpecificam actionis in particulari, ut eſt ſpecies entis in genere naturæ producit; aut *quatenus cauſa particularis eſt terminata in ipſum defectum, malitiam particularem illius actionis: Deus concurrendo dicitur particularis cauſa, priori tantum modo, quatenus producit entitatem ſpecificam actionis, ut eſt actio in particulari: creatura rationalis dicitur cauſa particularis utroque modo, quatenus præter modum priorem ſuo concurſu & operatione terminatur præterea in malitiâ ac vitioſitate actionis: ſed reſpondebimus diſtinctiſſime. Si cauſa particularis intelligatur, à quâ peccatum in concreto, id eſt, actio mala, habet non tantum entitatem ſuam phyſicam, ſed & illum defectum, à quo ratio eſt peccati in abſtracto, à quo ipſa malitia eſt, à quo ex. gr. furtum eſt furtum, conceditur major & negatur minor*; *id eſt*, Qui eſt hoc modo cauſa particularis actionum, quæ cum malitia conjunguntur, ut non tantum ſit cauſa particularis

laris entitatis physicæ ipsius actionis, sed & malitiæ in particulari, quæ est in actione, is est author peccati: *vera est major; sed falsa est minor*, quod Deus in concurrendo sic dicatur causa particularis: *sed verò si intelligatur causa particularis, illa, à qua peccatum in concreto, id est, actio mala, habet entitatem specificam actionis tantum, non malitiæ, tum negatur major, quod*, Qui est causa particularis actionum, quæ cum peccato, *id est*, malitia sunt conjunctæ, sit autor ipsius peccati, *id est*, malitiæ, cum ille tantum concurrat ad entitatem specificam actionis, qua talis: *& conceditur minor*: Deus enim est causa particularis etiam earum actionum, quæ malitiæ & peccato substernuntur: *ex. gr. furari non habet tantum rationem entis, sed & actionis, & hujus actionis in specie, quæ dicitur ablatio*: *Deus concurrit, ut causa particularis ad motum istum physicum actionis, quæ furto substernitur,*

non tantum ut est motus, sed & ut est actio, & ut est actio talis physica, sc. ablatio: Si enim Deus non concurret sic in particulari, fur non tantum non posset se movere, sed nec sic in specie movere manum physicè, ut istuc tendat, unde aufert: sed ad vitiositatem actionis & ablationis, quod ablatio ista sit invito Domino aut inscio, quod sit ablatio rei alienæ, ad istam malitiam ablationi accedentem non concurrit Deus: ablatio *enim aut spectatur* in genere naturæ, *aut* in genere moris: *ablatio in genere naturæ species est actionis, & motus, & bonum quid, & sine peccato fit, &, tam Deo quam homini, tam hujus quam illius concursui, subjicitur: ut v. c. si meum librum abstulero; istius ablationis causa particularis est, & manus mea auferens, & Deus concurrens ad istam motus speciem, quæ ablatio dicitur: at in genere moris, prout malitia moralis accedit, si nempe librum alterius abstulero invito aut inscio ipso, ad istam difformitatem*

&

& inconvenientiam cum lege Dei, quæ id vetuit, ſolus ego concurrerem, ut cauſa particularis, non Deus; ratio eſt, quia illa difformitas ſolum in me eſt, & actione meâ, ut à me tanquam cauſâ ſecunda, legi ſubjectâ, profic ſcitur; ſed tamen Deus ad iſtam ablationem in ſpecie, ut eſt ens tale in genere naturæ, non minus particulariter concurrit, quam tunc, cum fit ſine furto, ſine iſtâ malitia morali. Ergo Deus nullo modo eſt author peccati ex particulari concurſu, quia particularis ejus concurſus terminatur in actionis malæ v. g. furti entitatem ſpecificam in genere naturæ. 2. *Malitia dicitur ſequi aut comitari actionem dupliciter, in quantum eſt privatio rectitudinis moralis aut legalis: vel ex ipſa natura & eſſentia actionis, quemadmodum hunc actum, qui eſt fornicationis, ſequitur neceſſario violatio integritatis corporis, quæ eſt privatio quædam: & hoc ſenſu verum eſt vulgatum axioma:* Qui eſt author formæ, eſt author o-

mnium consequentium formam: *sed hoc modo ac sensu non sequitur actum peccati sua vitiositas, sua malitia: vel malitia, in quantum est privatio, sequitur aut comitatur actum, non ex ipsa naturâ actus, sed ex relatione ad agens certum, in quantum scilicet egreditur à tali agente, cui præfixa est lex & regula ad actum oppositum: hoc modo & sensu actum peccati comitatur & sequitur sua malitia, quæ iccirco non est rejicienda in quemcunque authorem actus, sed in eum cui præfixa est lex & regula ad actum oppositum: talis author actus est sola causa secunda, non prima: ergo malitia sequitur & comitatur actum peccati, in quantum profluit à sola causa secunda, non autem in quantum proficiscitur à primâ.*

EXA-

EXAMEN.

Deum ad actiones, quæ cum lege suâ pugnant concurrere *concursu particulari*, seu Deum esse particularem ipsarum causam, absurdum esse negat *Professor*; quod tamen, etiam sepositâ malitiæ consideratione, absurdum esse facilè demonstratur. Etenim, Deum ad illas actiones concurrere, est ipsas unà cum homine operari; Deus cum homine operari nequit, nisi cum homine operari velit; & haudquaquàm possibile est, ut Deus cum homine operetur, nisi homo cum Deo operetur: quid verò magis absurdum est, quàm Deum lege suâ hominem ad non-operandum cum ipso obligare, & tamen velle operari cum homine? Duplex hîc absurditas occurrit; altera est, quòd Deus hominem ad id, quod ipsi impossibile est obligat;

cùm

cùm enim Deus velit operari cum homine actiones legi suæ adversas, & impossibile sit hominem ipsas non operari cum Deo, quandò Deus ipsas cum homine operatur; Deus, hominem ad illas actiones unà cum ipso non-eliciendas obligando, ad id, quod homini impossibile est, hominem obligat: altera, quòd maxima foret Dei imprudentia. Nam, *Legislatoris* nulla imprudentia major est, quàm velle id facere, ad cujus oppositum obligat. Si rex quispiam mandaret, ut subditi non furarentur cum ipso, & statueret nihilominùs cum ipsis furari, de ejus insipientiâ haud dubitaretur; nec minor foret insipientia, si Deus mandaret, ut actiones legi suæ adversæ ab hominibus unà cum ipso non perpetrarentur, & tamen illas ipsas cum hominibus operari decerneret. Verum quidem est, quòd persona prudenter obligans non semper vult id, ad quod obligat,

obligat, aliàs homo nunquam peccaret; quoniam Deus ipsum ad non-peccandum nunquam non obligat; sed persona prudenter obligans nunquam vult id, cui contrarium est id, ad quod obligat. Ut hæc veritas magis innotescat, animadvertendum est, quòd hominem obligari, putà ad non-operandum hodiè, est ipsum debere non-operari hodiè, & quòd Deus hominem ad non-operandum hodiè obligare non potest, nisi velit ut homo debeat non-operari hodiè; & supponemus Deum obligare hominem ad non-operandum hodiè, velle tamen operari hodiè cum homine, quod velle nequit, nisi velit etiam ut homo hodiè operetur. Ecce prudentiam personæ obligantis! Vult Deus, ut homo debeat non-operari hodiè, & tamen vult ut homo hodiè operetur. Ad hanc duplicem absurditatem accedit & tertia, quòd scilicet Deus erit Author ejus, cujus

jus est ultor. Est enim ultor earum actionum, quæ cum lege suâ pugnant, atque ipsarum causa particularis est, seu Author, ut *Heereboordus* hîc loci confitetur. Quòd si dicat Deum esse ipsarum Authorem, sed non quatenùs cum lege Dei pugnant, & hominem esse ipsarum Authorem, quatenùs cum lege Dei pugnant, Deum denique punire hominem tantùm propter ipsas, quatenùs cum lege Dei pugnant; contrà, creatura nonnunquam legem Dei ignorat, inter peccandum rarò de ipsâ cogitat, & si inter peccandum de ipsâ cogitet, rarissimè ideò operatur, quia operatio legi Divinæ adversatur; Deus verò legem à se latam nunquam non animadvertit: quocircà, Deus potiùs quàm homo causa est ut plurimùm actionum, quatenùs cum lege Dei pugnant. Præterea, hæc actionum repugnantia cum lege Divinâ, est vel positivum quid, vel privatio; si positivum quid,

quid, tum ex ſententiâ *Heereboordi*, Deus non minùs, quàm homo illius cauſa eſt; ſi verò ſit privatio, nec à Deo nec à creaturâ cauſabilis eſt; atque ita, creatura non magis, quàm Deus erit actionum, quatenùs legi Divinæ adverſantur, cauſa. Quod verò repugnantia illa privatio non ſit, probatur: ſi enim ſit privatio, eſt privatio conformitatis cum lege Divinâ, ſed illius conformitatis privatio non eſt, ergò &c. *minor* probatur, quoniam privatio eſt abſentia rei, quæ debet, ſaltem poteſt ineſſe, ſed conformitas illa cum lege divinâ non poteſt ineſſe actionibus, quę cum illâ lege pugnant, quoniam lex illa adverſùs iſtas actiones, ante ipſas actiones lata fuit, atquè ideò impoſſibile eſt, ut illi legi conformentur. Si verò dicatur, quòd eſt mera conformitatis negatio; cur negatio rei, quæ dari non poteſt, creaturæ adſcriberetur, eíque vitio verteretur? An Deus hominem punit

propter

propter actiones, quia non sunt tales, quales ipsas esse impossibile est? Ex sententiâ verò, quæ Deum *concursu particulari* ad actiones legi Divinæ repugnantes concurrere, seu Deum esse causam illarum particularem, docet, non solùm Deum imprudenter & ad impossibilia obligare, cúmque esse Authorem ejus, cujus est ultor, (ut modò demonstravimus) sed etiam malitiam Deo tanquam Authori imputandam esse, rectissimè concluditur. Argumentum autem adversùs *concursum particularem*, à malitiâ desumptum, ab *Heereboordo* proponitur in hæc verba: *Qui est causa particularis istarum actionum* (quæ scilicet cum lege Dei pugnant) *quæ cum malitiâ sunt conjunctæ, quas malitia sequitur ac concomitatur, is est author peccati: atqui Deus, ex nostrâ sententiâ, est causa particularis*, &c. *ergò* &c. Responsi summa hæc est: Deus est causa entitatis actionis, sed malitiæ,

itiæ, creatura, quia ei *præfixa est lex & re-gula ad actum oppositum.* Seu quod eodem ecidit, quicquid creatura operatur, operatur & Deus, Deus verò non peccat operando, quia non operatur contra legem sibi vel à se, vel ab alio præfixam; sed creatura operando peccat, quoniam operatur contra legem sibi a Deo præfixam. Verùm, actum esse positivè malum. *Anim. Medel.* L. 2. c. 16. necnon actiones nonnullas prohiberi, quia malæ sunt, seu non ideò tantùm malas esse, quia prohibentur, ibidem c. 15. fusiùs demonstravimus. Argumentis, quibus alterutrum probavimus, hoc *Professoris* responsum confutatur; quocircà eò *Lectorem* remittimus. Hìc loci tantùm observamus, quòd tenore istius responsi, Deum, quamvis quicquid facit creatura, faciat & Deus, &, si *concursus prævius* admittatur, faciat ut creatura faciat, non esse Authorem mali, nihil

nihil aliud est, quàm Deum nihil facere, quod ipse prohibet nè ipse faciat; quod creaturæ etiam flagitiosissimæ competit, nulla enim creatura facit, quòd ipsa prohibet nè ipsa faciat. An sanctitas summa in hoc consistit, quòd ipsa sibi legem non præfigit, quódque propterea adversùs legem à se sibi præfixam agere non potest?

HEEREBOORDUS.

§ 3. Si Deus ut causa particularis concurrat ad entitatem specificam omnis actionis, ergo non tantum ad bonitatem sed & ad malitiam concurret ut causa particularis, quia tam malitia quam bonitas specificat actionem, cum sint oppositæ species. *Resp. hoc argumentum proficiscì ex falsa hypothesi, quasi, cum actio dividitur in bonam & malam, illa sit divisio generis in species: nihil minus: est enim*

enim divisio subjecti per adjuncta: bonitas & malitia distinguunt quidem actiones, ut adjuncta subjectum, sed non specificant eas, ut differentiæ specificæ genus; quod clarissimè hinc liquet, quia una eademque actio potest esse huic bona alteri mala, prout huic est non interdicta; alteri est interdicta: at una res non potest v. c. huic esse homo, illi bestia, etsi centenos indicat respectus: &, si esset illa divisio generis in species, cum actio dividitur in bonam & malam, bonitas & malitia essent utrumque aliquid positivum, quia illa, quæ specie opponuntur diversâ, utrumque sunt vera entia: at bonitas & malitia, cum non contrariè sed privativè opponantur, nec positivæ aut veræ species entis sunt, nec veras aut positivas species constituunt: atque ex isce manifestum est, quàm ineptè philosophentur de concursu Dei, qui eum indifferentem facit, sic ut ad bonum & malum determinetur nunquam ad diversas specie actiones à voluntate

tractâ: *cum* 1. *neque concursus Dei sit indifferens*, 2. *neque bonitas & malitia diversas specie actiones constituant*: *sed unus idemque concursus Dei requiritur ad actionem aliquam, tanquam subjectum, quocunque demum accidente, sive bonitate, sive malitia morali affectum, producendum*: *loquimur de concursu & influxu in actiones naturales, qui unus est idemque in actiones tam bonas quam malas, sed utrobique determinatus & particularis ad actionem in specie atque individuo, talem ac talem in genere naturæ* præter *hunc* influxum particularem & determinatum *ad actionis Physicæ entitatem genericam, specificam, & individualem cognoscimus singularis gratiæ influxum &* concursum supernaturalem per modum principii & actionis *simul* in *actione* bona *qua bona, id est, terminatum in ipsam bonitatem. Itaque Deus respectu actionis, in malâ concurrendo nihil plus operatur quam in bona*; *aici*

respectu

respectu actionis, *quia utrobique genericam, specificam, individualem entitatem actionis non manus producit, quam creatura; sed vero in bona hoc amplius agit in concurrendo quam in mala, quod in bona non tantum præmoveat & concurrat cum causa secunda ad actionem, sed præmoveat insuper & concurrat influendo in ipsam bonitatem per auxilium supernaturale, per influxum specialis gratiæ: sed in actione mala, neque præmovet neque influit in malitiam, verum in actionem tantum.*

EXAMEN.

Si actio mala, ideò tantùm sit mala, quia prohibetur, uti statuit *Heereboordus*, actionis malitia posita est in difformitate, ut bonitas in conformitate cum lege Divinâ; ac proindè, cùm actio in bonam & malam dividitur, non est divisio *generis* in *species* suas, sed

potiùs *subjecti* in *adjuncta*, modò præcepta & prohibitiones, actionum *adjuncta* censeantur; & actionem in bonam & malam distribui, nihil aliud est, quàm aliam actionem præcipi, aliam prohiberi: aut si malitia actionis, sit privatio, ut idem *Heereboordus* existimat, ea speciem actionis constituere nequit; sed quasdam actiones non malas esse ideò tantùm quia prohibentur, & malitiam non esse privationem, locis suprà citatis abundè demonstravimus. Verùm, supponamus actiones omnes malas, malas esse ideò tantùm quia à lege prohibentur; & quæramus, cur plus ad bonam actionem, quàm ad malam exigeretur? *Calviniſtæ*, inter quos *Heereboordus* postremus non est, gratiam laudibus ad sydera tollunt, & in ejus necessitate prædicandâ tantùm non luxuriant: sed mundo fucum faciunt & incautis illudunt. Nam, actiones non nisi quatenùs a Deo vel præci-

præcipiuntur vel prohibentur, bonas esse vel malas docendo, arbitrari se, nisi legitimæ sequelæ vim prorsùs ignorent, majus auxilium ad actiones bonas, quàm ad malas haud exigi, demonstrant. Lex cùm præcipiens tum prohibens, actioni, quæ vel præcipitur vel prohibetur, omninò extrinseca est, & in eâ neutra ponit quidpiam; atque ideò non alius influxus requiritur ad actionem bonam, seu ad actionem, quæ præcipitur, quàm qui ad actionem malam, seu ad actionem, quæ prohibetur, sufficit. Et quidem, si actio bona plures influxus, quàm mala postularet, præceptum difficultatem, & prohibitio facilitatem operandi crearet. Eò enim faciliùs operatur creatura, quò pauciores, eò difficilius, quò plures ad operandum exiguntur influxus. Sed, ut quàm vanus sit atque ridiculus hic in ipsam bonitatem influxus terminatus, quem malitiæ de-

negat *Professor*, porrò appareat; dicimus, quòd quemadmodùm influxus, qui ad albedinis productionem sufficit, ad ejus quoque similitudinem cum omni præcedente albedine, ut & ejus dissimilitudinem cum omni nigredine præcedente, sufficit: ita præsuppositâ lege vel præcipiente vel prohibente, influxus ille, quo entitas actus producitur, ad actus vel difformitatem vel conformitatem cum lege præcedente satis est. Si enim actus edatur, & lex præcedat, quæ ipsum præcepit, ipsum legi non esse conformem, seu ipsum non esse bonum, planè impossibile est, quod tamen haudquaquàm impossibile foret, si præter influxum ad productionem entitatis actus necessarium, alius influxus, qui ad ipsam bonitatem terminaretur, esset necessarius: &, si actus edatur, & lex præcedat, quæ ipsum prohibuit, ipsum non esse legi difformem,

seu

ſeu ipſum non eſſe malum, ſimpliciter iridem impoſſibile eſt. Atque ita, ſi Deus ad actiones bonas & malas concurrat, tam ad malitiam, quàm ad bonitatem concurrit, quia concurrendo ad actiones malas, tam producit actiones, quæ prohibentur, quàm concurrendo ad bonas, producit actiones, quæ præcipiuntur. Utinam *Heereboordus* tam *argumenta*, quàm *influxus* ſuos multiplicâſſet.

HEEREBOORDUS.

V. Ut tandem huic & præcedentibus de concurſu Dei diſputationibus finem imponamus, atque omnem errandi anſam præcidamus, quomodo concurſus Dei dici debeat generalis, ſpecialis, univerſalis, particularis, breviter proponemus. Concurſus generalis *eſt is, quem Deus largitur omnibus creaturis, ad omnes ipſarum*

actiones, qua actiones, peragendas : ſpecialis, *quem Deus largitur quibuſdam duntaxat, idque ad actiones bonas, qua bonas, perficiundas. Uterque concurſus eſt* particularis, *neuter* univerſalis : *unus terminatur ad actionem non tantum, qua actionem in genere, ſed qua talem in & ſpecie in individuo; alter terminatur ad bonitatem non tantum in genere, ſed hanc in ſpecie & in individuo. Si quis, aut concurſum generalem ad actiones, aut ſpecialem ad bonitatem earum, velit vocare univerſalem, quia generalis ad omnes actiones, qua actiones, ſpecialis ad omnem bonitatem extenditur, per me licet, neque quicquam culpo, ita dici* ratione objecti *concurſum Dei* univerſalem : *ſed cum iſta univerſalitas transfertur ad ſignificandum* modum concurrendi *in Deo, quaſi concurrat tantum actione indifferenti, generica, communi, indeterminata, contrahibili, & determinabili ad hanc aut illam actionem per cauſam ſecundam,*

dam, peſſimè dicitur concurſus Dei univerſalis, *neque ferenda eſt iſta denominatio, quæ tot errores peperit per univerſam & Theologiam & Philoſophiam : & talis ac tali modo univerſalis concurſus figmentum eſt ac commentum cerebri humani.*

Ut *Heereboordus* ſuis de *concurſu* Diſputationibus, ita & nos *Examini* finem imponimus; tantùm repetitionibus *Lectorem* onerare nolumus, eúmque obnixè rogamus, ut priuſquàm ad judicandum de noſtrâ vel adverſâ ſententiâ, accedat, præconceptas omnes hâc de re opiniones, ab educatione; Authorum multitudine, antiquitate fucatâ, vel ſanctitatis ſpecie hauſtas ac derivatas exuat, & argumentorum, quæ in alterutrius ſententiæ favorem adducuntur, momenta unicè perpendat.

AMICO

AMICO SVO,
JOHANNI RAWLINO.

Nihil libentiùs reminiſcimur, aut frequentiùs, quàm quæ luſimus pueri, *quibuſq;* Colluſoribus. *Habet ſiquidem innocentior illa ætas & quod amet, & quod averſetur. Si igitur ea demùm firma & durabilis cenſenda ſit amicitia, quam*

quam modius salis *condîerit*; *nostra*, *jure* *optimo audiet firmissima*, *quam à teneris inchoatam unguiculis*, *multa* *dies*, & *morum similitudo fermentaverit*. *Quòd si tanti apud* Nos *essent* Amicorum paria, *quanti apud* Veteres, *nullus dubito*, *quin nos quoque* Theseo & Perithoo, Oresti & Pyladi, *annumeraret Posteritas*. *Cùm præsertim*, *quod illis accidit*, *nulla unquam labecula amicitiam nostram infecerit*. *Verùm hæc licèt magni*, *ut debeo*, *faciam*,

faciam, hoc tamen Amicitiæ nostræ, inter præcipua, gratulor, quòd per totum istum rerum Britannicarum *turbinem, idq; cùm ad latrocinium planè spectarent &* πανωλεθρίαν, integritati, *non minùs quàm* prudentiæ *consulueris. Posterioris naufragium quandoque fecerunt* Optimi; *prioris jactura, in* virum *cadit non nisi* pessimum. *Sed, per me obducatur cicatrix. Habet enim, ut* vulnera, *ita & proprios Respe.* Medicos. *Id tantùm nunc agitur,*

gitur, ut mutui amoris, & benevolentiæ in te nostræ, aliquod saltem extet, si non monumentum, *at profectò* testimonium. *Quod hic inserendum duxit*

Amicitiæ & nominis

tui studiosissimus,

JO. STEARNE.

Ex Aulâ Trinitatis, Id. Septemb. An. Dom. 1660.